

Notes du mont Royal


www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES
Google Livres

FLAVII
IOSEPHI
OPERVMTORVM
MVS SECVN-
DVS.
*

Decem posteriores Antiquitatum Iu-
daicarum libros, vnà cum Iosephì
vita per ipsum cōscripta, cōplectēs.
Sigismundo Gelenio interprete.



LVGDVNÆ,
Apud Antonium Vincentium,

1557.

Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Une ou plusieurs pages sont omises
ici volontairement.

FLAVII O-

SEPHI VITA.

*



M IHI igitur genus est nō obscū-
 rum, se longa serie deductum à
 sacerdotibus: & sanè quemad-
 modum apud alios alia nobili-
 tatis rationes cēsentur, ita apud
 nostrates aus sacrorū habere argumentum est ibi
 lustris originis. Ego autem non solum ex sacer-
 dotum oriundus sum genere, verametia ex vice
 prima inter viginti quatuor illas, quas inter non
 mediocre discrimen est. Quin & ad regium ge-
 nus per matrem pertineo: quandoquidem Asamo-
 naorum familia, ex qua illa prognata est, tempo-
 re longo regnū simul & sacerdotiū in gente no-
 stra obtinuit. Nūc ipsam seriē propagationis per-
 texam. Ataus mihi fuit Simon Psellus cognomi-
 ne, quo tempore Hyrcanus Simonis potest. filius
 eius nominis primus summū sacerdotium tenuit.
 Is novem filios habuit, & in his Matthiā Aphlia
 cognomine. Hic ex Ionatha summi pontificis fi-
 lia Matthiam Curtū suscepit, primo anno Hyr-
 cani principis: ex eo Iosephus progenitus est an-
 no regni Alexandra nono: qui Matthiam genuit
 annum decimum regnante Archelao: is porro me
 genuit imperij. C. Caesaris anno primo: ipse autē
 filios habeo tres, quorum Hyrcanus maximus

TT 3 natus

natus est anno quarto Vespasiani principis, deinde septimo Iustus, nono Agrippa. atque hanc generis nostri successionem ut est in publicas tabulas relata huc trāscripsi, parui faciens improborum calumnias. Matthias autem meus pater, non nobilitate solum, sed multo magis iustitia fuit celebratus, cuius nomine totis quam ampla sunt Hierosolymis innotuit. Ipse à pueritia cum Matthia eisdem parentibus nato incumbens disciplinis egregie profeci, visusq; sum intellectu & memoria præcellere: ita ut iam tum quartumdecimum annum agens laudem consecutus ex literarum studijs etiam à pontificibus & vrbis primoribus de penitiori legum sensu consulere. Sextumdecimum deinde ingressus decreui nostratum seclorum gustum aliquem capere, quas tres esse diximus, Pharisaorum, Sadducaorum, & Essenorum: sic enim faciliorem delectum fore putabā, si omnes cognoscerē. Itaque duro victu & magno labore per omnes tres transi: ac ne hac quidem experiētia contentus, cum audissem Barum quendam in solitudine viuere, amictum sibi parantem ex arboribus, et sponte provenientibus alimentis utentem, crebrisq; nocte ac die lauacris frigidis ad castitatem tuendam, coepi eius institutum imitari: exactusq; in eius contubernio tribus annis, postquam concupitis satius potitas sum, in urbem redi. Iamq; vndeiginti annos natus civilē vitam

aggre

aggressus sum, addictus Phariseorum placitis, proxime ad stoicam apud Græcos sectam accedentibus. Post annum verò ætatis sextum supra vigesimum Romam mihi proficisci contigit ob causam hanc: Quo tempore Felix in Iudæa procurator erat, sacerdotes quosdā mihi familiares, viros honestos & bonos, ob leuem quandam culpam vinctos Romā misit, aucturos causam suā apud Cæsarem. quos ut aliquo pacto eriperem periculo: præsertim cum audirem, ne in calamitate quidem cōstitutis curam pietatis excidisse, & fidei ac nunciis eos vitam sustentare: veni Romā multis in mari exhaustis periculis: mersa enim nostra nāue in medio mari Adriatico, circiter sexcenti per totam noctem natauimus: & diluculo demum Cyrenaicam nauem Deo fauente conspicati, octuaginta fermè nostrum feliciore vsi natatu in eam recepti sumus. Ita seruatus Dicaarchiā, siue Puteolos, ut Itali vocare malunt, familiaritatem contraxi cum Alituro mimorū actore, qui Iudæus genere Neroni charus erat: per quē ubi Poppea vxori Cæsaris innotui, confestim per eam impetraui ab solutionē illis sacerdotibus: præterq; magnis donatus ab ea muneribus in patriā reuersus sum: ibi deprehendi iam nonarū rerum studia glifcere, multosq; ad defectionē spectare à Ro. pop. Itaq; conabar seditiosos ad meliorem mentē reducere, proponens in ob oculos cum quibus essent bellum gesturi,

nimirū cum Romanis, quibus & peritia rei mi-
 litaris, & felicitate essent impares: monebamq;
 ne temerē ac imprudenter patriam seq; & suos
 in extremū periculum conijcerent. Ad hunc mo-
 dum vehementer dehortabar, infelicissimū bellī
 finē prospiciens: nec tamen quicquā profecit, tā-
 ea erat tūc desperatorū insania. Veritus igitur
 ne eadē continenter apud eos repetens in odium
 atq; suspiciōnē inciderē, quasi fautor hostium,
 neve hoc nomine comprehensus ab eis neci trade-
 rer, occupato iam castello Antonia secessi ad tē-
 plam interiūs. Deinde post occisum Mana-
 hemum & primates latronum cohortis rursum
 ex templo prodij, versabarq; cū pontificibus &
 Pharisaorū primoribus, non mediocriter sibi ti-
 mentibus. Videbamus enim populū arma corri-
 puisse, ipsi inopes consilij: & cū non possemus
 tumultuatores cōpescere, quōd ea res non careret
 periculo, simulabamus quidem nos probare illo-
 rum sententiam: suadebamus tamē, ut se conti-
 nerent, & hostem abire sinerent, quōd sperare-
 mus Gesium breui venturū cum validis copijs,
 & cum tumultum se daturum. Ad ille reuersus,
 & in pralio cū multis occisus, sua clade extre-
 mam toti nostrae gēti calamitatem attulit: mox
 enim belli autoribus additus est animus, speranti-
 bus omnino Romanos deuincendos, quo tempore
 & aliud quiddā accidit Syriae urbium circum-
 nichmarū habitatores Iudaeos intra eadē mœnia
 secum

Secum degentes cōprehensos vnā cum vxoribus
 & liberis trucidabant, sine vllō crimine: quippe
 qui neq; deficere à Romanis cogitauerant, neq;
 contra ipsos priuatim aliquid moliti fuerāt. Sed
 inter ceteros eminuit impia Scythopolitarū im-
 manitas. Cū enim bello peterentur à Iudeis
 exteris coēgerunt suos Iudeos cōtra tribules ar-
 ma sumere, quod nostris vetitum est legibus: ho-
 rumq; ope hostes profligati sunt. Post victoriam
 autem obliti fides socijs inquilinis debita, omnes
 occiderūt, cū essent multa hominū eius gentis
 millia. Nec mitius tractati sunt Iudei Dama-
 sca incolæ. Sed de his prolixius in libris De bel-
 lo Iudaico narrauimus: nunc ob hoc tātum ea-
 rum cladium memini, vt sciat lector nostrā gen-
 tem non vltro, sed necessitate compulsam, ad id
 bellum deuenisse. Itaq; profligato Gessio Hiero-
 solymitanorū primores cū viderēt latrones ce-
 terosq; pacis turbatores habere armorū copiam,
 veriti ne ipsi inermes inimicis obnoxij fierent, vt
 post accidit: cognitoq; quod Galilea nondum to-
 ta à Romanis defecisset, sed pars eius etiam tum
 quiete ageret: miserunt eò me & alios duos sa-
 cerdotes, viros honestos ac bonos, loaxarum et
 Iudā, vt prauis illis hominibus persuaderemus
 arma deponere: doceremusq; satius esse cōmitti
 ea gentis optimatibus: placere enim vt illi arma
 in futurum semper parata habeant: expectan-
 dum tamē dum certò sciatur, quidnam Romanis

*sit animi. Cum his mandatis in Galilaam veniens
 reperi Saphoritas in magno discrimine, tuentes
 patriam contra Galileorum vim volentium eam
 diripere, quod perstarent in amicitia Rom. po-
 puli, fidemq; seruarent Senio Gallo tum Syria
 praesidi. His ego securitatem reddidi sedata infe-
 sta multitudine: permisiq; ut quoties vellent in
 Dora (ea Phœnices vrbs est) ad suos mitterent,
 quos obsides Gessio dederant. Tiberiadis autem
 incolas inueni iam arma sumpsisse ob huiusmo-
 di causam Tres in hac vrbe factione erant: una
 honestorum virorum, cuius caput erat Iulius Ca-
 pella. Is & qui eum sequebatur, Herodes Mia-
 ri, Herodes Gamali, Compsus Compsi: Chrissus
 enim huius frater olim a maiore Agrippa ei
 vrbi praefectus tum in suis possessionibus trans
 Iordanem agebat: hi omnes inquam autores erant
 manendi in fide regis & Rom. pop. solus ex no-
 bilitate Pistus dissentiebat in gratiam Iusti sui
 filij. Altera factio est plebeus & obscuris con-
 stans bellandum decernebat. In tertia Iustus
 eminebat Pisti filius, dubitare se de bello simu-
 lans, sed interim occulte mutationem rerum cu-
 piens, cuius occasione sperabat se consecuturum
 aliquam potentiam: itaq; progressus in concio-
 nem conabatur docere multitudinem, quod eo-
 rum ciuias inter Galileas semper sit habita:
 quodq; metropolin eius regionis fuerit Herodis
 tetrarchae tempore, qui ipsum conditor Saphoritis
 ei sub*

ei subiecerit: hanc præminentiam ei mansisse & sub Agrippæ patris imperio, usque ad Felicem Iudææ præsidem: nunc demum postquam Agrippa iuniori à Nerone donata sit, primatum amisisse. mox enim Sephorim ex quo Romanis parere cœpit, reliqua regioni præpositam: desuisseq; apud se archinam & mensam regiam. His & alijs multis in regem iactatis cum irritasset ad defectionem populum, aiebat nunc esse tempus, correptis armis, & assumptis in societatem reliquis Galilæis primatum sibi de integro vindicare omnibus fauentibus Sephoritærum odio, quos pertinaciter hærentes in Romanorum amicitia libèter aliqua clade afficerent: iuvandosq; eos conatus totis viribus. His dictis permovit multitudinem, quòd haberet popularem quandam faciendam, & saniora suadentes verborum præstigijs vinceret. Erat enim etiam Græcarum disciplinarum non imperitus, quibus fretus ausus est rerum tunc gestarum historiam texere, quo veritati fucum faceret. Sed de huius nequitia, & quomodo viâ cum suo fratre patriam penè subuerterit, procedente sermone narrabimus. Tunc autem Iustus cœcibus persuasis, quibusdam etiam coactis arma capere, cum omnibus egressus incendebat vicos Hippenorum atq; Gadarenorum, contiguos Tiberiadis agro, & Scythopolitanorum finibus. Quæ dum apud Tiberiadem geruntur, Gischalorû status erat talis.

Ioannes Leui filius videns ciuium suorum quosdam ferocientes iugum Romanorū excutere vel le, conatus est eos retinere in fide et officio: quod tamen nullo modo efficere valuit: interim vicini populi, Gadareni, Gabaraganei, & Tyrj collectis validis copijs irruentes expugnant Gischala, quibus incensis atq; dirutis domum se recipiunt. Qua iniuria Ioannes accensus, suis omnibus armatis, conflictuq; cum predictis populis habito, inſtaurata patriam securitatis causa cinxit moenibus Gamala autem in Romanorum fide perſtabant ob causam hanc. Philippus Iacimi filius, Agrippæ regis præfectus, præter spem dum regia Hierosolymitana oppugnaretur elapsus in aliud periculum incidit, ne iugularetur à Manahemo & socijs eius latronibus: seruatus est tamen interuentu cognatorū quorundam Babyloniorū qui tum erant Hierosolymis: quintaq; post die quo minus agnosceretur mutato capillitio fugā inijt: & cum peruenisset ad quendam suæ possessionis vicū situm prope castellum Gamala, accersuit aliquāmultos sibi subditos: interim diuinitus ei quiddā accidit, quod aliqui perituro salutē attulit: nam repentina febre correptus literas ad Agrippa & Bernicem scriptas liberto cuidam commisit, qui Varo eas redderet: huic enim tum rex & regina curandam regiam crediderant, ipsi Berytum profecti obuiam Gessio. At Varus acceptis Philippi literis, cognitoq;

genitoq; quòd euaserit, tulit id grauer, veritus
 ne posthac rex & regina non egerent sua opera,
 vt Philippo incolumi reddito. Productum igitur
 ad plebem cum qui literas attulerat, & accusa-
 tum tanquam falsarium, quodq; fictū nuntium
 attulisset, Philippum Hierosolymis cum Iudaeis
 contra Romanos bellum gerere, supplicio tradi-
 dit. Qui cum non reuerteretur ad Philippum,
 ille causam nesciens rursus alium misit cū lite-
 ris, renuntiaturū quidnā priori accidisset, curvo
 ita differret reditum. Verum & hunc Varus op-
 pressit per calumniam: etenim à Caesariensibus
 Syris inflatus fuerat vt aspiraret ad sublimia,
 dicentibus fore vt Agrippa interficiatur à Ro-
 manis ob rebellionē Iudaeorū, & ipsi detur re-
 gnum debitū propter cognationem regiam: nam
 constabat Varū esse regij generis, descendentem
 à Solhemo tetrarcha Libani. Is igitur spe talī
 elatus literas apud se retinuit, diligenter cauens
 ne peruenirent in manus regias: observabātque
 omnes exitus, nequis clam elapsus renuntiaret
 regi quae ibi fierent: multosq; Iudaeorum interfi-
 ciebat in gratiam Syrorum Caesariensium: quia
 & in Bathanea Iudaeos qui Babilonj vocatur.
 Bathyrā incolentes decreuit ope Trachonita-
 rum inuadere: vocatisq; ad se Caesariensibus Iu-
 daeis duodecim primarijs, iussit eos profectos illū
 nuntiare suo nomine tribulibus, relātū sibi esse
 quid bellum aduersus regem molirentur: sed
 quia

quia non liberet credere, denūtiare vt arma ponerent: id enim argumentum fore certissimum, quòd meritò fidem non habuerit falsis rumoribus. Adiunxit, mittendos esse viros septuaginta ex optimatibus, qui crimen obiectum diluant. Fecerunt iussa illi duodecim: & cū Bathyrā venissent ad sua gētis homines, eosq; nihil novi moliri inuenissent, per suaserunt vt septuaginta viros mitterent. Hos aduentantes cum duodecim legatis Casaream, Varus stipatus regio milite in itinere exceptos vnā cum ipsis legatis interficit, ac mox pergit contra Iudaeos incolentes Bathyrā: sed praeuenit eum quidam ex illis septuaginta casu seruatus, quo nuntio moniti arreptis armis receperūt se cum vxoribus & liberis in castellum Gamala, relictis vicis refertis multis opibus, & pecorum ingenti numero: quo auāto Philippus & ipse eodem se contulit: ad cuius aduentum acclamabat populus vt ducem se eis praeberet, & cōtra Varū ac Casariēses Syros bellū susciperet: fama enim s̄ arserat regem ab his occisum esse, Philippus verò cōprimebat eorum impetum, collata in eos regis beneficia in memoriam reuocans: tum quanta esset Romanorum potentia, quam rebellando irritare immāni periculo non careat: atq; ita tandem vicit huius viri consilium. Rex porro cū sensisset Varum velle apud Casaream Iudaeos cum vxoribus & liberis multorum milium explentes numerum
interfi

interficere, misit ei successorem Equum Modium,
 ut alibi dictum est. Philippus autem Gamala
 & vicinam regionem in Romanorum fide conti-
 nuit. Interea cum venissem in Galilaam, certis
 nuntijs super his rebus edoctus, scripsit Hieroso-
 lymitanorū concilio, quid me iuberet sciscitans.
 Rescriptū est ut in Galilea maneam, eiusq; tu-
 tela provideam, retentis etiam collegis, si illis ita
 visum sit, Hi cum multum pecunia parassent ex
 debitis sibi sacerdotij nomine decimis, statuerāt
 reuerti in patriam: sed rogati ut tātisper mecum
 essent dum componeremus omnia, facile assense-
 runt. Cum his igitur à Sephoritarū vrbe profe-
 ctus in Beithmauntē vicum veni disitum qua-
 tuor stadijs à Tiberiade: missoq; nūtio accersui
 ad me senatum Tiberiads & primores eius po-
 poli: qui postquā affuerunt, & inter hos Iustus
 quoq;, dixi me vnā cum collegis legatū à populo
 Hierosolymitano missum ad eos, ut agerē de di-
 ruendo palatio, quod ibi à se exstructū Herodes
 tetrarcha varijs animalium picturis ornauerat,
 cum id vetitū sit nostris legibus: rogabamq; ut
 nos quantocius id facere pernitterent. Quod
 cum diu Capella & suae factionis homines recu-
 sassent, tandem magna contentione assensum eis
 expressimus. Interim dum nos ea de re conten-
 dimus, iam Iesus Saphia filius nautarum &
 inopum factionis dux assumpta aliquā multo-
 rum Galileorum manu palatium incenderat,
 ratus

ratus se bonam pradam inde paraturum, quia
 reſta eius quadam inaurata viderat: multaq; in
 eo diripuerunt præter animi noſtri ſententiam.
 Nos enim poſt colloquium cum Capella & Ti-
 berienſium primatibus apud Bethſaurem ha-
 bitum in ſuperiora Galilæa nos recepimus. Tum
 Ieſu factio Græcos omnes eam urbem habitantes
 intermiſit, & quotquot inimicos ante id bellum
 habuerant. His auditis vehementer commotus
 deſcendi in Tiberiadem, deditq; operam ut quic-
 quid poſſem recuperare ex direptis regis ſacul-
 tatibus, candelabra corinthia, menſas regias, &
 ruduſ argentis ſatis magnam copiam: quæcumq;
 autem recepi, regi ſeruare ſtatui. Accitis igitur
 decem e ſenatu potioribus & capella Antylli fi-
 lio, vaſa illa ei tradidi, interdicens ne cuiquam
 præter me ea redderent. Inde Giſchala cum col-
 legis ad Ioannem veni, cogniturus quidnam ha-
 beret animi: moxq; deprehendi eum rerum no-
 varum cupidum affectare tyrannidem: rogabat
 enim me ut ſibi poteſtatem facerem exportandi
 frumentum Caſaris, quod in ſuperioris Galilæa
 vicis erat repoſitum, dicens ſe id velle impedere
 in ſtructuram mœnium patriæ. At ego cum
 oſceſſem eius conatus & conſilia, negabam me
 hoc ei permittere: cogitabam enim id frumen-
 tum aut Romanis ſeruare aut mihi ipſi, quod
 haberem iam curam eius regionis à ciuitate
 Hieroſolymitana mihi commiſſa. Ergo cum
 nihil

nihil à me impetraret, collegas appellauit super hoc negotio futurorum impronidos, & auidos munerum: ab his largitione totum eius provincie frumentum obtinuit, me non valente contra duos contēdere. Deinde altero dolo Ioannes usus est: aiebat enim Iudaos Casaria Philippi incolas, regis cui suberant mandato intra mœnia cohibitos, querentes de olei puri penuria, id à se petere, ne præter moram cogatur uti Græcorum oleo. Hæc autem non religionis respectu dicebat, sed victus turpis lucri cupidine: sciēs enim apud Casarienses sextarios duos drachma vna venire, Gischalus autem octuaginta sextarios drachmis quatuor, totum illud oleum quod ibi erat ad eos transmisit, me quoq; ut videri volebat permittēte. Non enim volens mittebam, sed metu: ne si obsisterem lapidarer à populo. Postquam igitur concessi, plurimum pecunia Ioannes quasiuit hoc maleficio. Ex hoc oppido remissi collegas Hierosolyma, totusq; posthac fui in comparandis armis & muniendis urbibus. Accitis deinde latronum fortissimis, cum viderem non posse illis arma adimi, persuasi multitudini ut mercede eos conduceret, conducibilius docens habere eos stipendiarios, quàm sinere agros incursionibus eorum diripi: atque ita eos dimisi sacramēto obstrictos, ne nisi vocati in regionē nostram venirent, aut nisi stipem debitam reciperent iussos prius abstinere à Romanis & accolis iniuriam.

Sed ante omnia curavi in pace continere Galilaeam: cumq; vellem optimates eius regionis circiter septuaginta prae-textu amicitiae habere quasi obsides fidei, ascitos in amicitiam feci mihi commites & iudicandi socios, pleraq; decernens ex ipsorum sententia, in primum curam ne temere discederem à iustitia, utinam abstinere ab omni corruptela munerum. Agens igitur annum trigessimum, qua etate etiam si quis temperet cupiditatibus illicitis, difficile tamen evadit calumniatorum invidia, maxime si cum magna potestate sit: nulli mulieri vim intuli, & nihil mihi obtrudi sum passus, ut rei nullius indigus: Imò ne debitas quidem mihi ut sacerdoti decimas accipere volui ab afferentibus. ex manubijs tamen partem post devictos Syros accolae recepi, quas me Hierosolyma misisse ad cognatos fateor. Cuiusvis Sephoritas vi expugnassent, Tiberienses quater, Gadarenses semel, & Ioannem sapius insidias mihi molitum in potestatem redegissem: neq; de ipso, neq; de ullo memoratorum populorum poenas sumere sustinuit, ut procedente stilo indicabimus. Quamobrem opinor deum recte factorem inspectorem, & tunc me eripuisse ex inimicorum insidijs, & post saepe à multis periculis, sicut suo loco dicetur. Tanta autem erga me erat vulgi Galilaorum fides ac benevolentia, ut expugnatu eorum oppidis, & in captivitatem abductis familijs, non tantum gemitus suis calamitatibus, quatuor

quantum cura incolumitati mea tuenda impenderent. Hac videntem Ioannem inuidia subijt, rogauitq; me per literas vt sibi permitterem valetudinis causa apud Tiberiadem foveri aquis calidis: quod ego nihil suspicans libenter annui: quin & his quibus ciuitatis administratio per me fuerat credita scripsi, vt diuersorium ei pararent & comitibus, rerumq; ad commodum vi-ctum idonearum copiam. ipse interim agebam in vico Galilae qui Cana dicitur. Ioannes autem postquam venit Tiberiadem, egit cum oppidanis vt obliti data mihi fidei ad se deficerent: multiq; preces eius libenter admisserunt, homines gaudentes nouitatibus, & mutationum auidi, procliu-nesq; ad dissidia: praecipue vera iusto & patri eius Pisto cupide arrepta est deficiendi a me ad Ioannem occasio, id tamen consilium interuentu meo feci irritum. Venerat enim ad me a Sila, quem Tiberiensibus ducem praefeceram, nuntius voluntatem eius populi indicans, & hortans vt properem: alioquin fore vt ciuitas breui in aliorum potestatem veniat. Lectis igitur Sila literis, cum ducentis viris per totam noctem iter feci, praemisso nuntio qui aduentum meum significaret Tiberiensibus. Mane autem iam ciuitati proximo plebs mihi venit ouiam, & Ioannes inter alios: qui cum valde turbato vultu me salutasset, veritus ne detecto suo conatu veniret in capitis periculum, properè se recepit in diuer-

forium. Cumq; peruenissem in stadium, dimissis
 absq; vno satellitibus, retentisq; decem armatis,
 alloqui coepi concionem Tiberiensium, stans in
 celso quodam suggesto: hortabarq; eos ne tam ci-
 zo deficerent, alioqui fore vt breui eos fidei mu-
 rata poeniteat: neq; illis posthac quenquam cre-
 diturum facile, nimirum merito suspectis ob hac
 presentem perfidiam. Vix hac effatus eram, cum
 audio ex meis quendam iubentem me descende-
 re: non enim tempus esse concilianda Tiberien-
 sium beneuolentia, sed prospiciendi incolumitati
 propria, & quomodo inimicos effugiam. Ioan-
 nes enim postquam didicit me penè solū esse, de-
 lectos è mille suis militibus fidissimos miserat
 iussos me interficere: iamq; veniebant, & pa-
 tratum fuisset facinus, nisi otius desiluissim cū
 Iacobo satellite, subleuatus ab Herode Tiberiensi:
 à quo deductus ad lacum, nauigio quod fortè ibi
 naclius sum conscenso, euitatis prater opinionem
 inimicis perueni Tarichaeas. Eius vrbis incolae
 audita Tiberiensium perfidia vehementer irati,
 correptis armis hortabantur vt se contra eos du-
 cerem, dicentes se velle vlcisci laesi ducis iniuriā:
 facinusq; hoc renūtiabant per totam Galilaam,
 quò omnes concitarent contra Tiberiada, rogan-
 tes vt frequentes ad se conuenirent, facturi de
 consilio ducis id quod visum fuerit. Itaque ma-
 gnus vndiq; Galilaorum armatorū concursus fa-
 ctus est, postulantiū vt Tiberiada inuaderē, ex-
 pugn

pugnatamq; diruerem, & incolas cum totis familijs sub hasta venderem. Idem suadebant & amici qui ex ea vrbe euaserant. Ego verò non annuebam, indignum ratus civilis belli initium facere, & censens non debere eam contentionem ultra verba progredi: imò ne ipsis quidem aiebam id còducere, si Romanis inspectantibus dissidjs intestinis se conficiant. Hac ratione demum Galileorũ ira placata est. Ioannes porrò vbi nò successerunt insidia, sibĩpsi timuit, & assumptis armatis quos circa se habebat relicta Tiberiade Gischala petijt: inde ad me scripsit factum excusans, quasi non fuisset eius conscius: rogabatq; nequid suspicarer de ipso, addens iuramenta cum diris execrationibus, quo magis scriptis suis fidẽ astrueret. At Galilai quorum è tota regione de nouo magnus cum armis affluerat numerus, scientes hominẽ esse malũ & periurũ, rogabant vt se còtra eum ducerem, promittentes funditus se deleturos & ipsum & patriam eius Gischala. Actis igitur pro fauore gratijs, pollicitus sum me eis non cessurum officijs ac beneuolentia: rogabam tamen vt cohiberent seipso, & darent mihi veniam quòd tumultus compefcere malletm absque cadibus. Concesserunt id mihi Galilai, moxq; Sefhorim venimus. Oppidani autem quibus decretũ erat permanere in fide Romani populi, timentes meum aduẽtum, conati sunt me in alia negotia distrahere, quo ipsi securius dege-

rent : missoq; nuntio ad Iesum latronum principem agentem in consinijs Ptolemaidis, magnam pecuniam ei sunt polliciti, si cum octingentorum manu quam aiebat, bellum nobis inferret. Is promissis motus voluit nos nec opinantes & impetratos aggredi: itaque rogat me per nuntium, ut sibi salutandi me potestatem facerem. Quo impetrato, quandoquidem non praesenseram insidias, assumpta latronum cohorte iter fecit prope: non tamē ei successit tentatū facinus. Cum enim iam non longe abesset, quidam ex eius cohorte transfuga conatum ipsius mihi indicat. Quo audito processi in forum simulans me nihil scire de insidijs, sequente armatorum Galilaorū multitudine, & inter hos quibusdam Tiberiensibus. Deinde dispositis qui servarent vias, iussi portarum custodes ut solum Iesum cum primis venientem intramitterent, ceteros excluderent: & si vi tentarent irrumpere, plagis repellerent. Quibus imperata faciētibus intravit Iesus cum paucis, iussusq; à me arma confestim proijcere, nisi interfici mallet, videns se cinctum armatu paruit. Tum qui eum sequebantur exclusi ut decem suum captum senserunt, enestigio fuga se proripiunt: & ego seorsum abducto Iesu dixi me non ignorare paratas mihi insidias, quib; ve id factum sit autoribus: daturum tamen erroris veniam, si mutatus vellet esse mihi fidus in posterum. Quo omnia pollicente dimisi hominem,

perno

permissum quos prius habuerat colligere : Sēphoritis verò pœnam interminatus sum, nisi posthac quiescerent. Per idem tempus venerunt ad me duo Trachonitarum magnates regis subditi, adducentes suos equites, & afferentes tam arma quàm pecuniam. hos cùm Iudei circumcidi cogerent, si velint inter ipsos versari, non sinì ut eis molesti essent: asseuerans oportere suo quenque arbitrato & non alieno impulsu deum colere : neque committendum ut eos securitatis causa confugisse ad nos pœniteat: atque ita persuasa multitudine, viris illis consuetum victum abunde prœbui. Interea rex Agrippa copias misit duce Equo Modio, quæ Magdala castellum vi capiant: quæ tamen obsidere id non ausa, infestis vijs infestabant potius Gamala. Ebutius autem Decadarchus qui Magni campi præfecturam tenuit, audito quòd in Simoniada vicu venissem situm in Galilæa finibus distantē ab ipso sexaginta stadijs, noctu assumptis quos circa se habebat centum equitibus, & ferme ducēis pedibus, Gabēsiumq; auxilijs, nocturno itinere in eum vicum peruenit. Cōtra quem cum meorum explicuissem validam aciem, conatus est nos in planiciem prolicere, fretus equitibus. Nihil tamen profecit, quia moueri loco nolui: quippe videns eū potiores habiturū, si cū essemus omnes pedites descenderemus in campestria. Cumq; aliquandiu strenuè repugnasset Ebutius, tan-

dem animaduertens nullum esse eo in loco usum equitum, signo receptui dato Gabam abiit infesto negotio, tribus tantum in pugna amissis. Ego verò euestigio secutus sum cum armatorum duobus millibus, cumque venissem Besaram, quod oppidum in Ptolemaidis situm consimili studio vigesimo abest à Gaba, ubi tum erat Ebutius: dispositis foris per vias stationibus militum, quotuti essemus ab incurfu hostium, donec frumentum exportaremus, cuius magna vis è circumvicinis reginae Bernices vicis eo congesta fuerat: oneratiq; plurimis camelis & asinus quos in hoc adduxeram, transmissi frumentum id in Galileam: absolutoq; hoc negotio feci Ebutio pugnandi copiam. Eam cum ille detrectaret audacia nostra territus, verti me in Neapolitanum, audito quod populatus sit agrum Tiberiensem. Is cum equitum ala praesidio erat Scythopoli. Hoc igitur ab ulteriore Tiberiensem vexatione prohibito, totus eram in prospiciendo rebus Galilae. Ceterum Ioannes Levi filius, quem diximus degere Gischalis, postquam cognovit omnia mihi ex sententia succedere, amariq; me à subditis, & timeri ab hostibus, iniquo id tulit animo: ratusq; non esse in suam rem meam felicitatem, non mediocri invidia tactus est: speransq; se meos successus impediturum si subditorum in me concitaret odia, sollicitavit Tiberienses & Sephoritas, ratus etiam Gabare nos ad se defecturos, qua

quæ ciuitates sunt in Galilæa præcipuæ: aiebat
 enim suo ductu longe melius administranda o-
 mnia: & Sefhorienfes quidem, quòd utroq; no-
 ſtram poſthabito ad Romanos ſpectarent domi-
 nos, non aſſenſerunt homini. Tibcrienſes autem
 defectionem quidem recusabant, pollicebantur
 tamen illi quoque amicitiam. Gabarenſi autem
 Ioanni ſe addixerunt, auctore Simone ciuie pri-
 mario, qui Ioannis erat amicus & ſocius. Nec
 tamen aperte ad eum defecerunt, quippe qui ve-
 hementer timebant Galilæos, iam ante experti
 eorum erga me beneuolentiam: ſed aliam capta-
 bant occaſionem inſidijs. Et ſanè periculum adi-
 ui maximum de cauſa tali. Dabaritteni quidam
 audaces iuuenes cùm animaduertiſſent vxorem
 Ptolemæi procuratoris regij cum magno para-
 tu deducentibus aliquot equitibus per Magnum
 campum ex ditione regia in Romanorum pro-
 uinciã iter facere, in eos repente irruunt: fu-
 gataq; muliere quicquid ſecum portabat diri-
 piunt: quo factò Tarichæas ubi tum eram, qua-
 tuor mulos adducunt onuſtos veſtimentis va-
 riaq; ſupelleſtili: inter quam & vaſa erant ar-
 gentea non pauca, & quingenti numi aurei.
 Hac ego ſeruare volens Ptolemæo, vt eiſdem
 tribus homini, quòd lex noſtra ne inimicos qui-
 dem tribules fraudare permittat, dixi his qui
 attulerant oportere ea ſeruari, vt diuenditorum
 pretium conferatur in Hieroſolymitanæ vrbiſ

maiorum fabricam. Id iuuenes illi permolestū
tulerunt, non admissi in partem pradae ut spera-
uerant: quapropter sparsi per vicos Tiberiadae
rumorem disseminant, velle me Romanis eam re-
gionem prodere. Finxisse enim pradam destina-
tam esse praemuniendis Hierosolymis: re autem
vera in hoc eam seruare, ut rapta domino suo
restituam. Qua quidem in re nil eos fallebat
opinio: post discessum enim iuuenum accitis duo-
bus primarijs ciuibus, Daffione & Iannaio Leni
filio, regi amicissimis, mandavi eis ut raptam su-
pellectilem ad illum transmitterent, mortem in-
terminatus si hoc secretū proferrent apud quen-
quam mortalium. Sed cum Galilaeos rumor per-
uasisset, me velle regionem eorum Romanis pro-
dere, omnibus incitatis ad sumendum de me sup-
plicium. Taricheata quoque fidem habentes iu-
uenum commenticijs sermonibus, suaserunt meis
satellitibus & militibus reliquis, ut me dormien-
tem deferentes in circum venirent, cum ceteris
ibi de abrogando mihi imperio consultaturi. Qui
persuasi multos ibi iam ante congregatos inue-
niunt unanimiter vociferantes vindicandū esse
in proditorem reipublicae. Sed praecipue instiga-
bantur à Iesu Saphia filio, qui tum summū ma-
gistratum gerebat, vir malus & natus mouen-
dis tumultibus, seditiosusq; ut qui maxime. Is
tum praese ferens Moysis tabulas in mediū pro-
gressus, Si vestri, inquit, nulla cura tangimini,

ut sacratas has leges nolite contemnere, quas publico odio prosequendus Iosephus iste vester dux sustinuit prodere, quantumvis atroci pœna dignissimus. Hac effatus & exceptus acclamatione populi, assumptis armatis ad ades ubi diuersabar properat cum certo interficiendi me proposito, me nihil tumultus sentiente, & quiescente interim præ lassitudine: cum subito Simon vnus satellitum, qui tum solus mecum permanerat, viso incursum ciuium me excitat: indicatoq; instante periculo simul hortatur, vt potius generosi ducis more vitam abrumpam, quàm inimicorum arbitrio moriar. Hac illo monente, ego salute mea Deo commissa, mutatq; veste in cœtum atratus prodij, & suspensum à ceruice gestans gladium, per viam illam qua neminem aduersariorum occursum sciebam in circumueniens visendum me præbui, in faciem prostratus & terram rigans lacrymis, ita vt omnes mouerem ad misericordiam: cumq; sensissem mutatos affectus populi, conatus sum eorum sententias scindere, priusquam armati reuerterent à meis adibus: fastidisque me non alienum ab obiecto crimine, postulabam vt primum discerent in quem usum seruarem relatum ad me prædam, ac tum demum si liberet me interficerent. Multitudine verò iubente me dicere, armati reuerfi & me conspicati irruunt occidendi animo. Sed cohibiti plebis vocibus, represserunt suum
 impet

impetum, rati post confessionem prodicionis & seruata regi pecunia habituros se meliorem occasionem patrandi facinoris. Itaque facto silentio, Viri fratres inquam, si vobis videor mortem commeritus, nec ipse mori recuso : volo tamen ante exitium veritatem apud vos proloqui. Equidem cum animaduertissem ciuitatem hanc commodissimam hostibus, multosq; relictis proprijs patrijs delectari vestra consuetudine cuiusuis fortuna futuros socios, decreueram moenia vobis condere ex istis pecunijs, propter quas ad hoc destinatas exorta est tanta vestra indignatio. Ad hac verba Tarichenses & hospites conclamant, gratias mihi agentes, & iubentes me bono esse animo. Galilai verò atque Tiberienses perstabant in iracundia : factumq; est inter ipsos dissidium, his minantibus poenam, illis contra securum me esse iubentibus. Postquam autem & Tiberiensibus promisi me edificaturum moenia & alijs opportunis ciuitatibus, fidem habentes pollicitis dilabebantur ad suum quisque domicilium : & ego prater omnem spem elapsus è tanto periculo, cum amicis & viginti armatis domum reuersus sum. Sed denno latrones & seditionis autores, timentes sibi ne peccati poenam luerent, cum sexcentis armatis concurrunt ad meum diuersorium, incendendi illud animo : quorum aduentu nuntiato ratus turpe fugere, decreui uti contra eos audacia. Clansis igitur

igitur meo iussu adium foribus, ipse è cenaculo postulabam ut ad me aliquot mitterent, accepturos ob quam tumultuabantur pecuniam, nequid habeant quod stomachentur amplius. Quo facto turbulentissimum ex his qui intrò recepti sunt, verberibus casum, & alteram manū abscissam suspensamq; à collo gerentem, rursus eieci, rediturum ad eos qui se miserant. At illi mirum in modum sunt territi: timentesq; similem penam si ibi moraretur diutius, quippe qui putabant me plures domi habere armatos, subito omnes diffugiunt: sicq; hoc stratagemate alteras evasi insidias. Nec tamē defuerunt qui rursus concitarent vulgum, negantes magnates illos regios qui ad me confugerant oportere vivere, nisi transfirent ad eorum ritus à quibus salutem peterent: criminabanturq; eos ut Romanorum studiosos & veneficos: moxq; tumultuabatur multitudo decepta à loquentibus ad gratiam. Quo comperto ego contra docui populum, non esse exagitandos qui ad ipsos confugerint: cauillatus in vanitatē obiecti veneficij, frustra Romanos tot legiones alere, si veneficorum opera possint victoriam cōsequi. His verbis paulisper placati, ubi digressi sunt rursus in magnates illos irritabantur à quibusdam perditis, ut etiam armati ad eorum ades quas Tarichæe habitabant concurrerent, interfecaturi homines. Quod ut audiui, valde timui ne hoc scelere patrato

trato nemo postliac ad nos confugeret. Quam obrem assumptis quibusdam alijs propere veni ad eorum diuersorium: quo clauso, & perducta inde fossa ad lacum, accitum nauigium cum eis incoendens, traieci in Hippenorum confinia: & reddito eis equorum pretio, quos in tali fuga abducere non poterant, dimisi multum rogatos vt presentem necessitatem forti ferrent animo: nam & ipse permolestè ferebam, cogi me rursum in hostilem terram exponere viros, qui semel se mea fidei commiserant: satius tamen duceus Romanorum manu eos, si ita contingat, cadere, quàm in mea ditione per scelus opprimi. Illi tamen seruati sunt, rege concedente errati veniam. Et horum quidem hic fuit exitus. Tiberienses porro per literas regem rogauerunt, vt in eorum præsidium mitteret, defectionem pollicentes. Quo facto quàm primum ad eos veni, postulabant vt mœnia sibi promissa exstruerem. Audiuerant enim Taricheas iam cinctas mœnibus. Ego verò annui, & congesta vndiq; materia iussi architectos opus id aggredi. Post triduum verò me à Tiberiade digresse Taricheas triginta stadijs inde distitas, forte fortuna conspectus est Romanorum equitatus non longe à Tiberiade iter faciens: quos oppidani rati esse regios, mox in regem honorificas voces, in me contumeliosas iactare ausi sunt: moxq; cursim quidam veniens reuertitur illorum motum ad defectionem.

Elionem spectantium : id quod me valde perter-
 ruit, quòd instante tum sabbato armatos à Ta-
 richeis domum dimiseram, quo quietius Tari-
 cheata sine militari turba feriantur: & alio-
 quin quoties eo loco. degerem ne satellitio quidè
 vtebar, fretus probata saepe incolarum benewo-
 lentia. Itaq; cum septem tantum milites & ali-
 quot amicos circa me haberem, anceps eram con-
 silij: nam reuocare copias sub vesperam non pla-
 ceat, quibus postera die neq; necessaria arma
 tractare permittebatur nostris legibus. Quòd si
 Taricheatas eorumq; hospites prada spe inuita-
 tos illò ducerem, videbam in eis non esse satis vi-
 rium: & res dilationem non patiebatur, quòd
 timerem ne à rege missi occupata vrbe me ex-
 cluderent: quapropter decreui uti stratagemate.
 Euestigio amicorum fidißimos Taricheatarum
 portis apposui, ncmunem permissuros egredi: con-
 uocatisq; familiarum primatibus, singulos iussi
 nauem in lacum deducere, eaq; cum gubernatore
 inscensa me sequi. Tum & ipse cum amicis &
 septem illis militibus conscensò nauigio petebam
 Tiberiada. At Tiberienses vt cognouerunt nub-
 las à rege venire copias, lacum verò totum re-
 fertum nauibus, attoniti & ciuitati sua timent-
 es ac si naues militè velierent, mutauerūt prio-
 rem sententiam: itaq; positis armis obuiam mihi
 cum vxoribus & liberis prodeunt, excipientes
 me sanctis acclamationibus, quòd putarent me
 non.

non sensisse ipsorum propositum, rogantesq; ut propitius in eorum urbem adueniam. Ego autem propius accedens iussi gubernatores longe à terra ancoras iacere, ne appareret oppidanis nauigia esse mania, ipse naui una aduectus proximè, cum eis exposulabam quòd tam stultè ad violandum fidem mihi datam essent faciles: deinde pollicebar certam veniam, si decem primates ad me mitterent: quo sine mora factò, in nauem impositos misi Taricheas in custodiam. Atq; hac arte alios post alios accipiendo paulatim vniuersum senatum & parem ex primoribus populi numerum illo transuexi. Tum reliqua multitudo ut vidit in quanto esset periculo, rogabat ut tumultus autorem supplicio traderem. Is Clitus dicebatur, audax & temerarius iuuenis. Ego qui nefas ducebam virum tribulem interficere, & tam: n necesse habebam poenam de eo sumere, Leuiam vnum è satellitibus iussi, ut accedens ei manum alteram præcideret: qui cum non auderet solus in tantam multitudinem progredi, ne timiditas eius sentiretur à Tiberiensibus vocato Clito, quoniam inquam meritis es ambas manus amittere homo in me tam ingratus & perfidus, esto nunc tibi ipse carnifex, ne tibi cunctanti grauius inferatur supplicium. Cumq; multis precibus alteram manum sibi donari peteret, egre annui: moxq; libenter, ne ambabus mulctaretur, arrepto cultro sinistram sibi præci

pracidit. Atq; hoc modo is tumultus est compositus. Me deinde reuerso Taricheas, Tiberienses vt cognouerunt stratagema quo usus sum, mirabantur quòd absq; cade sedauissem ipforum resaniam. Ego autem accitis è custodia Tiberiensibus, & in his Iusto patreq; eius Pisto, adhibuò eos conuiuio : & inter epulandum dixi me non ignorare Romanos potentia mortales omnes prae cellere, dissimulare tamen propter latronum multitudinem: suadebamq; vt & ipsi idem facerent expectantes meliora tempora, neq; interim grauatim ferrent meum imperium, quandoquidem non daretur alius dux commodior. Iustum etiam admonebam, quòd ante quàm ego Hierosolymis uenissem, Galilai fratri eius manus amputauerint, obiectis fictiis literis & falsi crimine: quodq; post Philippi discessum Gamalita à Babylonijs dissidentes Charctem occiderint ipsius Philippi consanguineum : & quòd Iesum eius fratrem, ipsius Iusti sororium, aqua & modica poena affecerint, His allocutus eos in conuiuio, iussu mane Iustum cum suis abire liberos. Paulò autem ante Philippus Iacimi filius à Gamala talem ob causam abierat. Quamprimò didicit Varum à rege Agrippa defecisse, successoremq; ei missum Modium Equum. virum sibi amicum, de suo statu significauit ei per literas: quibus ille receptis perlibenter cognouit Philippum esse incolumem : easq; literas ad regem ac reginam mi-

fit, tum agentes apud Berytum. Tum rex ut intellexit falsum fuisse rumorem quod Philippus ducem se Iudæis contra Romanos prætulerit, misit equites qui cum ad se deducerent: venientēq; complexus comiter, ostentabat hominem Romanis ducibus, hunc esse dicens quem fama defecisse à Romanis vulgauerat: moxq; iubet eum assumpta manu equitum properare in Castellam Gamala, & abductis inde domesticis Babylonios in Batanaam restituere: dareq; operam modis omnibus nequid novi moliantur subditi. His mandatis à rege acceptis Philippus ad exsequendum ea properat. Iosephus autem quidam medicaster ascitis iuuenum audacissimis, & concitatis Gamalensium primatibus, suavit propulo ut à rege deficerent, armisq; armatis vindicarent se in libertatem pristinam: atque ita alios pertraxerunt in suam sententiam, cassis qui auderent contra hiscere. In his perijt & Chares, Iesusq; huius consanguineus, & soror Iusti Tiberiensis, sicut supra diximus, Post hac me rogarunt per literas, ut præsidium ad se mitterem, & simul qui oppidum eorum cingant mœnibus: ego verò utrunque annui. Per eosdem dies Gaulanitis quoque regio ab Agrippa deficit vsq; ad vicum Solymam, Soganni etiam & Seleucia locis natura munitis addidi mœnia. Superioris etiam Galilæa viços quamvis prærupto situ muniri similiter, Iamriam, Amerytham, Charaben. In
Gali

Galilæa vero permixti oppida Taricheas, Tiberiada, Sephorim: vicos, Arbelorum speluncam, Bersobe, Selamen, Iotapata, Capharath, Comosogana, Napapha, & montem Itabyrium: in ea laea & frumenti magnam vim condidi, & arma quibus se tuerentur contuli. Interim Ioannes Leui filius indies maiori me prosequabatur odio, meos successus ferens grauitè: cumq; decreuisset omnino me de medio tollere, postquam Gischata patriam cinxit mœnibus, Simonem suum fratrem cum centum militibus mittit Hierosolyma ad Simonem Gamalielis filium, rogans vt cum Hierosolymitana ciuitate ageret, vt mihi abrogato imperio, rebus Galilæa Ioannem ipsum suffragio communi præsicerent. Hic Simon Hierosolymitanus erat illustri cum primis genere, Phariseus secta, quæ quidem videtur exactius tenere leges patrias: insigni vir prudentia, & qui labantes res posset consilio suo in integrum restituere, utebaturq; iam pridem Ioannis amicitia, mihi insensus tunc temporis. Motus igitur amici precibus suasit pontificibus Anano & Iesu Gamala filio, alijsq; suæ factionis hominibus vt me crescentem tollerent, nec paterentur ad summum gloria fastigium euadere: id enim fore ipsis quoque conducibile, si amoueret à præfectura Galilæa. Sed non esse cunctandum Anano & cæteris, ne hoc consilio prodito urbem inuadam cum exercitu. Hæc

consulenti Ananus pontifex retulit non esse id facile, cum tam multi pontifices & primores populi testes sint mihi bene administrata provincia: nec equum esse accusare eum, cum nihil possis obijcere. Tum Simon iubet illos totam rem silentio tegere: sibi cura futurum, ut quamprimum à Galilæa submonear: accitoq; fratre Ioannis, mandavit ei ut munera ad Anani amicos mitteret, ita enim fortè citius concessuros in suam sententiam. Sic tandem Simon effecit quod voluit. Ananus enim & socij corrupti largitionibus, consilia de abroganda mihi præfectura conferunt, è ciuibz nemine alio conscio. Itaq; placuit mittere viros præstantiores genere, eruditione pares. horum plebeij erant duo, Ionathas & Ananias Pharisæi: tertius verò Ioax aræus sacerdotalis generis, Phariseus hic quoq;. Simon verà ex ordine pontificum, omnium natu minimus: hos iusserunt advocata Galilæorum concione querere, cur ita me diligant. quòd si respondeatur quia Hierosolymitam: dicere sibi quoq; Hierosolyma esse patriam. Sin autè peritiam legum in me probent, dicendum nec sibi ignotas esse ritus patrios. Quod si sacerdotij nomine me diligi dixerint, referendum ex ipsis quoq; duos fungi sacerdotio. Ita instructi collega Ionatha argenteorum quadraginta millia ex arario accipiunt. Et quia per idè tēpus Iesus quidā Galilæus cum sexcentorum militum cohorte Hierosolyma venerat: accitum hunc numerato

trium

trium mensium stipendio conducunt, iussu sequi
 Ionatham & collegas, imperataq; eorū facere:
 eisq; adiungunt trecentos ciues mercede auctora-
 tos similiter. His ita paratis legati proficiscuntur,
 comitante Ioannis fratre cum suis centū militi-
 bus, mandatū habentes ab his qui se miserant, vt
 si sponte ab armis discederem, viuū me Hieroso-
 lyma mitterent: si repugnarem, freti mandato
 impune interficerent. Eisdē etiā litera ad Ioan-
 nem data sunt, hortantes vt sit paratus bellum
 contra me gerere: quin & Sephoritis, Gabaritis
 atq; Tiberiensibus autores fuerunt, vt Ioāni con-
 tra me ferrent auxilia. Hac cū pater meus ex
 Iesu Gamala filio consiliorum omnium partici-
 pe mihiq; amico, cognita ad me perscripsisset, ma-
 le me habuit ingratitudo ciuiū per inuidiam occi-
 dere me volentium: nec minus agrē ferebam vo-
 cari me solliciti parentis precibus, dicentis cupere
 se meum conspectum ante obitum: quapropter
 amicis aperui omnia, addens post triduum reli-
 cta praefectura abiturum me in patriam. Quo
 audito mœsti omnes, & flentes deprecabantur,
 ne se deseram, perituros si destituantur meo im-
 perio. Cumq; apud me propria salutis quā pre-
 cum illarū potior haberetur ratio, veriti Gali-
 laei ne ob meum discessum contemnerentur à la-
 tronibus, dimissis montijs per totam regionem
 suam indicant me velle discedere. Quo audito
 multi undiq; conueperunt cum vxoribus & li-

beris non tam mei desiderio, ut opinor, quam metuentes sibi: me enim presente in tuto sibi esse videbantur. Venerunt igitur ad me populaviter in Magnum campum, ubi tum agebam apud vicum Asochim: quo tempore mirabile somnium noctu mihi observatum est: cum enim in cubili essem mœstus & turbatus ob recens acceptas literas, visus est mihi vir quidam adstās dicere: Desine o bone trīstari & metuerē, nam hac trīstia magnū te reddent ac fortunatum per omnia: succedent enim feliciter non hac solum, sed & multa alia: quare perdura, memor quod oporteat te & cum Romanis bellum gerere. Post hoc somnium surrexi volens in campum descendere: tum verò me conspecto multitudo Galileorum mixta mulieribus & pueris prostrata in faciem cum lacrymis supplicabat, ne se imminente hoste deferam: ne ve meo discessu regionē suam prodam inimicorum iniurijs: & cum precibus nihil agerent, adiurabant me ut manerem, iactantes multa convitia in Hierosolymitanū populum qui se in pace non sinerent. Hac audiens & videns plebis mœstitiā, flexus sum misericordia, non indignum ratus pro tanta multitudine vel apertum sustinere periculum. Itaq; mansurum me annui, & iussu adesse ex omni eo numero quinq; millibus cum armis ac comitatibus, ceteros dimisi in suam quemq; patriam: cumq; praesto essent illa quinq; millia, assumptis his & tribus

tribus militibus militum quos ante habueram, & octuaginta equitibus, iter feci in vicum Chabolonem, sitū in confinijis Ptolemaidis: ibiq; continebam paratas copias, quasi gesturus bellū contra Placidū. venerat is cum duabus cohortibus & turma equitū, missus à Cestio Gallo ut incenderet vicos Galileorum vicinos Ptolemaidis, & cum ille militem suū valo cinxisset non longe à Ptolemaidensū manibus, ego quoq; castrametatus sum procul à Chabolone sexaginta stadiis: quapropter saepe militem vtrinque produximus quasi conflucturi pralio: sed conatus omnis intra velitationes constitit. quippe Placidus quanto audiorē pugnandi me cerneret, tātō magis ipse metu detractabat pralium, nusquam secedens à Ptolemaide. Per idem tēpus veniens cum collegis Ionathas, quē missum Hierosolymis diximus à factione Simonis & Anani pontificis, conabatur me per insidias capere, non ausus aperte aggredi: scripsitq; ad me literas huiusmodi.

Ionathas & collega legati Hierosolymitarum Iosepho salutem. Quoniam Hierosolymis relatum est eius civitatis primatibus, Ioannem Gischalensē saepe tibi tendidisse insidias, miserūt nos ut obiurgaremus hominem, iuberemusq; in posterum imperata tua facere. quare ut de tuo quoque consilio provideamus in futurum quid agendum sit, rogamus quamprimum ad nos non magno comitatu venias: neque enim vicus hic

capit: turbā militum. Hæc ita scripserunt, alter-
 utrum sperantes, aut habituros se venientē sine
 armis obnoxium: aut si copias armatas adduce-
 rem, iudicatos perduellem patriæ. Has literas
 quidā eques attulit, iuuenis audax, qui olim re-
 gi militauerat. Erat autē hora noctis iam secun-
 da, & forte cum amicis Galilæarumq; optima-
 tibus discumbebam in conuiuio. Cumq; famulus
 veniūtaſſet veniſſe ad me quendā Iudæum equi-
 zem, meo iuſſu intrò vocatus ſalutauit neminē:
 tantū epiſtola prolata, Hæc, inquit, tibi mittūt,
 qui nunc venerunt Hieroſolymis. Et alij quidem
 conuiua mirabātur frontē militis: ego, verò hor-
 tatus ſum eum ſedere, & nobiſcū cœnā ſumere.
 Quod ubi reſuſcit, epiſtolam ita vt acceperam
 manu retinens, cum amicis fabulabar de rebus
 alijs: ac paulo poſt ſurgens ablegatis alijs cubi-
 tum, retentiſq; ſolum quatuor amicis intimis, &
 puero iuſſo vinū promere, apertā epiſtolam per-
 curri vidente nemine: & celeriter animaduерſo
 argumento denuo complicatam tenens manibus
 acſi nōdum legiſſem, iuſſi militi viginti drach-
 mas numerari viaticum: quibus acceptis cūm
 egiſſet gratias, intelligens hominē lucri eſſe cu-
 pidum, & hoc facile expuguabilem: Si inquam
 nobiſcum potare volueris, accipies drachmam in
 ſingulos cyathos. Accepit ille conditionē, & mul-
 tum vinum ingurgitans quo plus mereret pecu-
 nia: iamq; ebrius, ſecreta continere non potuit:

ſed

sed nemine rogante ultro fassus est structas mihi insidias, & quòd damnatus essem capitis. Quibus auditis rescripsi ad hunc modum. Iosephus Ionatha & eius collegi salutem. Quòd valetis quodq; in Galileam venistis gaudeo, maximè quia iam possum traditis vobis rerum gubernaculis reuerti in patriã, cuius reuiscenda iam pridem desiderio teneor. quamobrè libenter ad vos non solũ in Xallo venirem : sed longius etiã, vel si nemo me accerferet. Veniam tamẽ dabitis non valenti nunc id facere : apud Chabolonem enim manendũ est, & obseruandus Placidus, ne quod conatur irrũpat in Galileam. Præstat igitur vt ipsi vos huc conferatis ad me lecta hac epistola. Valet. His literis datis ad perferendum militi, misi cũ eo triginta Galileorũ nobilissimos iussos salutare tantũ homines illos, & nihil dicere præterea: additis etiam singulis militibus fidis in singulos, qui obseruarent ne missi à me aliquod haberent cũ Ionatha colloquium. Post horum discessum legati frustrati prima experiẽtia, aliam epistolam mihi scripserunt talem. Ionathas cate rig; legati Iosepho salutẽ. Denuntiamus tibi, vt absq; militibus ad tertium diem venias ad nos in oppidum Gabara, cognituros de Ioanni obiectis per te criminibus. His scriptis & consalutatis Galilai quos miserã veniunt in Iopham, vicum Galilæ maximũ & munitissimum, referatũque habitatoribus : vbi excepti sunt clamo-

ribus plebis vociferantis vna cum mulieribus atque pueris, abirent, & sinerent se frui duce optimo: eademq; erat vox omnium, nullius nisi Iosephi se parituros imperio. Itaque legati hinc discedentes infecto negotio Sephorim se conferunt, urbem Galilaeae maximam: cuius incolae studiosi Romanorum venientibus quidem prodierunt obviam: de me autem nihil dixerunt, nec in laudem nec in vituperium. At postquam inde descenderunt in Aschum, qualibus apud Iaphenos excepti sunt clamoribus: nec iam colibentes iracundiam, iubent suos milites, ut fustibus acclamatores illos abigant. Gabara autem venientibus praesto fuit Ioannes cum tribus militum milibus. At ego qui iam ex literis praesensera quod bellum mihi inferre decreverint, assumptis tribus milibus militum, relictoque in castris quodam amico fidelissimo, recepi me in Iotapata, ut vicinus eis essem ad quadragesimum stadium: scripsiq; eis in hunc modum: Si omnino vultis ut ad vos veniam, quadringenti quatuor in Galilaea sunt vici partim, partim oppida: ad horum quolibet veniam, absque Gabara & Gischali: altera enim patria est Ioannis, altera socia & amica ciuitas. His literis receptis legati non rescripserunt amplius, sed aduocato amicorum concilio, & Ioanne quoque adhibito, consultabant quomodo me possent aggredi. Censebat Ioannes scribendum esse ad singulos Galilaeae vicos & oppida: esse enim in singulis vnum saltem & alterum mihi infes-

infensum: eos provocandos quasi cōtra hostem pu-
 blicam. Idem decretū mittendum Hierosolyma,
 ut & eius vrbis ciues cognito iudicatū me esse
 hostē à Galileis, confirmet eam sententiam suo
 suffragio: ita fore, ut presenti Galilaorū favore
 destituar. Hoc consilium assensu ceterorū com-
 probatum est: moxq; circa horā noctis tertiam
 ad me est perlatum, renuntiante Sacchaeo transf-
 fuga. Quamobrem videns non esse cunctandi tē-
 pus, Iacobū virū fidelem ac strenuū iubeo cum
 ducentis militibus observare vias ferentes à Ga-
 bari in Galileam, & viatores comprehēsos ad
 me mittere, maximè apud quos reperiantur lite-
 ra: adhuc Hieremiam & ipsum ex amicorum
 meorū numero cum sexcentis militibus misi in
 fines Galilae quia itur Hierosolyma, iussu la-
 tores epistolarū intercipere, & ipsos quidē con-
 iungere in vincula, literas verò ad me trāmittere.
 His mandatis, edixi per nuntios Galileis ut in
 crastinū cum armis & triū dierum cibarijs ad
 Gabara mihi praesto sint: eis verò quos circa me
 habebam militibus in quatuor partes diuisis fi-
 dissimos satellitū praefectos cōstitui, iussos nemi-
 nem ignotū militē inter suos admittere. Postera
 verò die circa horā quintā veniens Gabara, in-
 venio ante oppidum totum campum plenum ar-
 matis, quos è Galilaea exciuerā in auxilium, &
 prater hos magnam rusticani vulgi multitudi-
 nem: in quorum castris postquam concionaturus
 consēdi

constituti, omnes acclamabant, benefactorem appellantes me, & seruatore suae patriae. Tum ego actus pro amore gratijs, suasi eis vt infestarent neminē, contentiq; cōmeatu proprio ē castris ad diripiendas villas non excurrerēt: velle enim me omnem tumultum absq; eade cōponere. Euenit autē vt qua primū die custodes viarū disposui, tabellarj Ionathae in eos inciderent: quibus ita vt iusseram detentis in custodia, postquā perlegi literas legatorū, plenas conuicijs & mendacijs, silentio dissimulans ire ad eos decreui. At illi audito meo aduentu, cū omnibus suis & Ioanne receperūt se in Iesu domicilium: id erat turris magna, & nihil ab arce differens: ibi abdita cohorte militū, & clausis absq; vna ianuis, expectabāt me ad salutandum se venturū ex itinere: iussis prius militibus vt venientē me solum intromitterēt exclusis ceteris: sic enim putabant me facile posse in suā potestatem redigi. Sed fefellit eos opinio: olfaciens enim insidias quā primū eō perueni, ingressus ē regione eorū situm diuersorium, dormire me fui. Legati verò credentes me verē sopitū quiescere, descendentes in campū sollicitabant multitudinē vt me malē ducis officio fungentē desererent. Sed contrā quā sperabant accidit: ad primum enim eorū conspectum exortus est clamor Galileorum, testatium qua me pro meritis cōplecterentur beneuolētia: incusabantq; legatos quod nulla laceßiti iniuria venis-

venissent ad turbandā tranquillitatē publicam,
 abire iubentes, eo quòd nō admissuri essent præ-
 fectum alium. His mihi renuntiatis, nō dubitanti
 in medium progredi : itaq; propere descendī au-
 diturus quid legati afferāt. Ibi procedenti mihi
 applausum est certatim ab omnibus, & accla-
 matum ab agentibus gratias pro rebus admini-
 stratis optime. His auditis Ionathas & ceteri
 extimuerūt ne salutis periculum adirēt incursu
 tantopere fauentis mihi populi, cogitabātq; au-
 fugere : sed quia non erat id eis liberum, me po-
 stulante vt maneāt, stabant mœsti vix rationis
 compotes. Igitur cohibitis turbæ acclamationi-
 bus, & fidissimis militum ad vias seruandas ap-
 positis, ne nos inopinos Ioannes inuaderet, insi-
 sisq; in armis esse omnibus, nequis repētinus ho-
 stium incursus terrore eis incuteret : primum li-
 terarum mentionem feci, quibus ad me scripse-
 rant, missos se à Hierosolymitanorū ciuitate, ad
 finiendū inter me & Ioannē controuersias, meq;
 ad cōparandum euocauerant : moxq; ne inficiari
 possent, protuli ipsam epistolam. Atqui, inquā,
 si contra Ioannis criminationes apud te Ionatha
 tuosq; collegas reddenda esset mihi vita ratio,
 adductis pro me duobus tribusve probis viris
 testibus, necesse fuisset approbatis testibus, &
 examinatis testimonijs, absolui me vestrā sen-
 tentia. Nunc verò vt sciatis bene à me admini-
 stratas res Galilææ, nolo tres testes probitatis
 addu-

adducere, sed hos omnes vobis exhibeo: ab his rationem vite mea poscite, an cum omni honestate & iustitia eis praeferim. Vosq; viri Galilaei adiuro, ne veritatem calcetis, sed coram his tanquam iudicibus proferatis siquid à me peccatum est. Nondum hac verba finieram cum una omnium vox exoritur, benefactorem me suum & servatorem appellantium: anteaq; omnia suo testimonio probantium, & ut in posterum mei similis esse pergeret rogantium: affirmabant etiam iurando omnes salutem esse per me uxorum suarum pudicitiam, & nullam sibi unquam à me illatam molestiam. Post hac duas Ionathae epistolas à custodibus meis interceptas & ad me delatas, audientibus multis Galilaeis legi, maledictis refertissimas, meq; falso insimulantes, quod tyrannum verius quam ducem agere: multaq; alia continentes per summam ficta impudentiam. Has literas dicebam mihi ultro oblatas à tabellariis, nolens aduersarios scire de custodiis, ne absterrentur à mittendis posthac literis. At cōcio commota in Ionatham atq; collegas quasi interfectura irruit, & patratum fuisset facinus, nisi furentes à me fuissent cohibiti: legatis verò pollicitus sum errati veniam, si resipiscerent, & in patriam reuersi vera de administratione mea referret. His dictis eos dimisi, quamvis scirem non facturos pollicita. Populus autem efferebatur in eos, rogans ut penas sumere de illis suerem: itaq; omnibus mihi

vten

*videndum fuit artibus, quò eos eriperè quòd sci-
 rem omnem seditionem perniciosam esse Reipub.
 Multitudo porro præstabat in iracundia, unoq;
 impetu omnes ruebant ad Ionatha diuersorium.
 Ego verò videns eos non posse retineri amplius,
 consensu equo edixi vt sequerentur me ad So-
 ganam vicum Arabum, distantem inde viginti
 stadijs: atque hoc stratagemate caui, ne viderer
 ciuili belli fecisse principium. Postquam autem
 ventum est prope Soganam, iussi agmen sistere:
 monitiq; ne essent ad iniquam iram tam præci-
 pites, centum atque ac dignitate præstantes deligo,
 qui se parent profecturi Hierosolyma, & accu-
 saturi apud eum populum autores seditionum,
 & turbatores sua Reipubl. Mandavi præterea
 vt si possent populū oratione sua flectere, impe-
 trarent publicas literas, quibus m. hi confirma-
 retur præfectura Galilæa, & Ioannes iuberetur
 inde discedere. Cum his mandatis celeriter expe-
 ditos tertia die post concionē dimisi, additis qui
 eos deducerent quingentis militibus. Samariam
 quoque amicis scripsi, darent operam vt legati
 per eorum agrum iter tutò faciant: iam enim
 ea vrbs Romanis erat subdita: & illac necessa-
 riò fuit cundum properantibus & sequentibus
 viarum compendia, vt tertia die peruenirent
 Hierosolyma: quin & ipse eos deduxi vsq; Ga-
 lilæa consinia, appositis per vias custodibus, vt
 non faciliè quinus discessum legatorum cognos-
 ceret:*

sceret: quo facto aliquātisper apud Iapha mora-
 tus sum. Ionathas autem & collega suo conatu
 frustrati remiserunt Ioannē Cischala, ipsi dein-
 de profecti sunt Tiberiadē, sperātes eam in suā
 potestātē venturā: quandoquidem Iesus tūc ma-
 gistratum ibi gerens per literas erat pollicitus,
 persuasurū se populo ut ad eos deficiat: illi igitur
 cū hac spe iter ingressi sunt. Mihi autē rem
 totam Sila per nūtiū significat, relictus ibi, ut
 dixi vicarius, redire me quā primū postulās:
 cuius monitu reuersus properē, in salutis disci-
 men talem ob causam incidi. Ionathas & socij
 Tiberiade multo aduersa mihi factionis ciuiū
 ad defectionis consilia pertraxerant: quare ad-
 uentu meo territi confestim ad me venerunt: ac
 primū mactū animi dicētes, gratulabātur mihi
 presentē honorē partū ex optima administra-
 tione Galilae: eam enim gloriam in se quoq; re-
 dundare, quorum & ciuis essem & discipulus:
 deinde meam quā Ioannis amicitiam se malle
 professi, iubebāt ut me domū conferrem, promit-
 tentes effecturos se mox ut ille in manus meas
 perueniat: atq; hac religiosissimo apud nos sa-
 cramento confirmarūt, cui nefas putarē non cre-
 dere. Post hac rogauerunt ut alio secederē, quod
 iustaret sabbatū: nolle enim se aliquid tumultus
 excitare in Tiberiensem populo. Tum ego nihil
 suspicatus iui Taricheas, relictis nihilominus in
 ciuitate qui curiosē obseruarent sermones de me
 hominū.

hominum: per totam etiam viam ferentē à Taricheis Tiberiadem certos disposui, qui à relictis in ciuitate cognita & quasi per manus tradita, ad me deferrent. Sequēte igitur die populus conuenit in profeucham quam vocant, precationis domum amplam & capace tanta multitudinis: quò postquā venit & Ionathas, non ausus aperte defectionis mentionem facere, dixit opus habere ciuitatē praelectis melioribus. At Iesus summus magistratus nihil dissimulans, Praestat, inquit, o ciues obedire nos quatuor viris, quā vni: praesertim illustri ortu genere, & prudentie nomine celebribus, simul ostendens cum suis collegis Ionatham. Hec verba mox Iustus collaudans pertraxit ciuium quosdam in suam sententiam. Plebs autē non assentiebat horū orationibus, & dubio procul exorta fuisset seditio, nisi concionem soluisset sexta hora superueniens, quae nostros ad prandium vocare solet sabbatis. Ita legati consultatione dilata in diem posterū, abierunt infecto negotio: quibus confestim mihi renuntiatis, decreui mane venire Tiberiadē: cumq; illuxisset diei sequentis initium, à Taricheis edueniens offendi congregatū iam in profeucha populū, nondū satis scientē ad quid cōuenerit. Tum legati prater expectationem me visor valde sunt territi. Tandē in mentē eis venit rumorē spargere, visos esse Romanorum equites in finibus eius agri ad locum qui Homonea dicitur, quo data

opera crebrescente : iſdem ipſi antores eius vociferabantur, non permittendos hoſtes ita impune populari agrum in conſpectu omnium: quod idco faciebant, vt me digreſſo ad ferēdas colonis ſuppētiās, ipſi interim urbem occuparent, alienatis à me animis ciuium. At ego licet ſcirem ipſorum propoſitum, feci tamen quod voluerunt, ne viderer continere Tiberienſium pericula. Progreſſus igitur ad dictum locum poſtquam ne veſtigium quidem vidi hoſtium, reuerſus itinere properato offendi conueniſſe vnà ſenatum ſimul & populum, & legatos apud cōcionē proluxa accuſatione in me inuolui, quòd neglecta belli cura proprijs tantū indulgereim voluptatibus. His dictis proferēbant quatuor epiſtolas, quaſi ſcriptas ad ſe à Galilaei extremos eius regionis fines tuētibus, & implorantibus ſuum auxiliū. His auditis Tiberienſes creduli clamare cōperunt non deſidendum eſſe vltēius, ſed ſcendam opem tributibus in tanto periculo. Ego contrā legatorum facinus intelligens, aio me ſine mora iturū quòd belli vocet neceſſitas: ſed quia è diuerſis quatuor locis lētera venerint, Romanorum incurſiones nuntiantes, oportere in totidem partes diuiſis copijs, ſingulos legatorū praefici ſingulis: decere enim viros fortes non conſilio ſolum rem laborantem iuare, ſed ductu etiam ſuo & auxilio: me enim non poſſe niſi vnā exercitus partē ducere. Placuerunt hac multitudinis, moxq; cogebat. & ipſos
exire

exire ad obeunda ducum munia: at illi vehementer animo turbati sunt, conatu suo frustrato per machinationes à me oppositas. Ibi vnus eorum Ananias nomine, vir malus & maleficus, suadet iudici publicum ieiunium in diem posterum, utq; ad eandem horam omnes in eundem locum ieremes conueniant, nimirum agnoscetes sine diuina ope nihil agi armis hominum: hac autem non pietatis ergò dicebat, sed vt me exarmaret vnica cum meis militibus: tum ego quoque obediui necessario: ne viderer piam admonitionem contemnere. Itaq; digressi domum omnibus, Ionathas & collega scribunt Ioanni, vt ad se mane veniat quanto possit comitatu militum: facile enim me in potestatem suam redacto voti fore compotè: ille acceptis literis libenter paruit. Postera die satellitum duo: fortissimos ac fidiissimos iubeo celatis sub veste breuibus gladijs mecum prodire in publicum, vt nos possemus defendere contra inimicorum, si qua existeret, iniuriam: ipse quoq; thorace indutus & accinctus gladio quàm occultissime in Prosencham ad precandum conueni. Iesus autem mecum amicis ingressus, astans foribus reliquorum ex meis aduitti permisit nemine. Iamq; nobis ritu patris preces inceptantibus, exurgens Iesus ex me quarit de suppellectili incensa regia rudiq; argento, apud què fuit hac deposita: quorum ideo tum mentione faciebat, vt tempus in Ioannis aduentum tereret. Respon-di Ca-

pellam habere omnia, & decem illos Tiberiensium
 ciues primarias : insitq; ut ex ipsis scitarentur
 an vera loqueretur. Quibus habere se fatentibus,
 Quid, inquit, illi viginti aurei, quos argenti ru-
 dis certo pondere vendita recepisti, in quæ usum
 à te conuersi sunt? Et hos, inquam, dedi in via-
 ticum legatis missis Hierosolyma. Adhac Iona-
 thas & collega responderunt, non rectè factum
 quòd legatis ex publica pecunia mercedè solue-
 rim. Plebe autem commota ob euidentem homi-
 num malitiam, cum intelligerem non procul à
 seditione rem abesse, volens magis etiam contra
 eos irritare populum : Si, inquam, male factum
 est quòd legatis mercedem dedi ex publico, non
 est cur molesti mihi sitis amplius: nam ipse per-
 soluam istos viginti aurens: tum populus tanto
 magis accensus est, quanto euidentius erat ini-
 quum illorum in me odium. Tum Iesus videns
 rem contra quam sperabat succedere, insit solo
 senatu remanente abire ceteram multitudinē:
 neq; enim per tumultu posse inquisitionē de tan-
 to negotio fieri. Populo autem reclamante nun-
 quam fore ut me solum inter eos deserant, venit
 quidā clam Iosu nuntians, nō longe abesse Ioan-
 nē cū armato milite. Tum Ionathas non amplius
 se continēs. Deo fortasse sic saluti meæ prospicien-
 te, alioquin enim non euasissē Ioannis impetū:
 Desinite, inquit, Tiberienses de viginti aureis in-
 quirere, non enim meretur Iosephus propter hos
 sup

supplicium : sed quia tyrannidem affectat, & principatum sibi parauit decepta imperita multitudi-
 ne : & cum dicto interfectori conabantur mihi manus iniicere : quo viso mei comites stric-
 tis gladijs intentado vulnera absterruerunt eos simulq; populus sublati lapidibus ferire volens
 Ionatham, eripuerunt me ab inimicorum violentia: cumq; paulu progressus, incidissem in viam
 per quam Ioannes veniebat cum manu militum, territus deflexi per quendam angiportum ad la-
 cum, atq; ita conscensa naxe Tarihcas euasi, tantu non oppressus inopinato periculo. Quam-
 obrem accersitis mox Galilaeorum primatibus denarraui eis quomodo prater ius & fas penè oc-
 cisus fuero à Ionatha & Tiberiensibus. Qua iniuria concitata tota Galilaeorum multitudo, hor-
 tabatur ne cunctarer inimici bellum inferre, sed sinerem eos ire, ipsamq; Ioannem & Ionatham
 atque collegas delere funditus. Attamen com-
 pescebam eorum iracundiam, expectare iubens
 donec cognoscamus quidnam legati nostri à
 Hierosolymitanorum ciuitate afferant : aiebam
 enim oportere nos nihil citra eorum assensum
 agere : his verbis persuasi sunt : Ioannes au-
 tem tunc quoque irritu conatu reuersus est Gi-
 schala. Post paucos aliquot dies legati nostri
 reuersi nuntiabant Hierosolymitanum popu-
 lum valde irasci Anano & Simoni Gamalia-
 li filio, quod absque consilio publico lega-

tu missu conati sint me dimouere à præfectura Galilæa: aiebantq; minimum a' fuisse, quin ades eorum incensa sint à populo: attulerunt etiam literas, quibus Hierosolymorum primates ex auctoritate populi, confirmabant me Galilæis præsidem simulq; Ionatham & collegas eius inbebāt quantocyns domum repetere. His literis receptis veni in vicam Arbela, quæ Galilæorum conuentum indixeram: ubi iussi legatos narrare quàm indigne Hierosolymitani tulerint Ionathæ malitiam, quodq; eius regionis præfecturam suo decreto mihi ratam fecerint, & Ionatham cum suis iusserint inde decedere: ad quos confestim transmissi eam epistolam, obseruare iusso tabellario, quidnam facturi sint. Illi recepta epistola territi non mediocriter, accersunt Ioannem & senatores Tiberiensium, & primates Gabara, consulentes eos quidnam oporteat facere. Tiberienses igitur censebant debere eos constanter obtinere administrationem reipublicæ, nec deferere verbum quæ semel ipsorum fidei se commiserit, maxime cum ego eos vellem inuadere: hoc enim me minatum mentiti sunt. Idem probabat & Ioannes, addens mittendos esse duos è collegis Hierosolyma, qui me accusent apud populum, quòd non rectè curem res Galilæa: dicens id persuasuros facile, tum ob ipsorum auctoritatē, tum quòd omne vulgus natura sit mobile. Placuit Ioannis sententia, moxq; Ionatham cum Anania

mit

militant ad Hierosolymitanum populum, reli-
 quis duobus manentibus apud Tiberiadem: de-
 ducebantur autem securitatis causa à centum à
 suis militibus. Tiberienses porro sartis diligenter
 moribus, inusserunt habitatores vrbis arma su-
 mere, & à Ioanne qui tum Gischalis erat, acci-
 uerunt non paucos milites, qui sibi essent, si ita
 fors ferret, contra me presidio. Interim Iona-
 thas cum suis iter faciens, vt venit Darabitta,
 qui vicus in Magno campo situs est in extremis
 Gadilae finibus, media nocte in stationem meo-
 rum militum excubantium incidit: qui iussos ar-
 ma ponere asseruauerunt vinclos quo loco man-
 daueram, mihi autem Leui eorum militum præ-
 fectus rem totam significat: itaq; per biduū dis-
 simulato negotio, per nuntios hortatus sum Ti-
 berienses vt ab armis discederent. At illi rati Io-
 natham iam peruenisse Hierosolyma, nihil re-
 sponderunt præter conuiitia: nec tamen sum deter-
 ritus quominus arte contra eos vterer, nefas du-
 cens belli ciuilis initium facere. Volens igitur eos
 extra mœnia prolicere, selecta militum decem mi-
 lia diuisi trifariam. Horū partem subsidentē Da-
 rus occulte collocaui: nullū verò in alio vico mon-
 ito similiter, distante quatuor stadijs, à Tibe-
 riade, expectantes dum signum procurrendi acci-
 perent, ipse vica aggressus substiti in propatulo. Id
 videntes Tiberienses procurfabant continuo ia-
 cientes amarulepta dysenteria: tantaq; eos tuus

insania corripuit, ut propofita funebri lectica ornata magnificè, circa eam me videlicet lamentarentur per ludibriū: at ego tacitus fruebar eorū stultitia. Volens autem Simonem per infidias intercipere & cum eo Ioaxarum, rogavi ut paulum extra urbem cum amicis & stipatoribus securitatis causa procederent. Velle enim me per colloquium facere cum eis ferire, & provincia curam diuidere. Tum Simon stultitia simul & lucri cupidine captus non recusauit venire Ioaxarus verò infidias suspicatus remansit. Aduententem igitur Simonem comitatum amicis & corporis custodibus excepi humaniter, gratias agens quod venire dignatus sit: paulò verò post inambulando, quasi sine arbitris dicturus aliquid se dudum ab amicis longius, mediumq; arreptum sublinem tradidi perducendum in vicum proximum: datoq; signo militibus, petebam cum eis Tiberiadē: cumq; utrinq; coortū esset acceperat nostris iam cedentibus cohortatione animum reddidi, & Tiberienses tantum non victores intra munia cōpuli. Immissa deinde alia manus per lacum, mandavi ut quam domum primā occupassent incenderent: quo facto Tiberienses vi capiam urbem rati, Abiectis armis supplicabant cum mulieribus & pueris ut victis parcerent. Ego verò precibus flexus, impetum militum cohibui: & dato receptui signo iam vespere ad curandum corpus abij: adhibitoq; sermone ad commi-

aium, consolabar hominem, promittens remissu-
rum me cum Hierosolyma instructum viatico
& deductoribus securitatis causa additis. In se-
quenti verò die cum decem armatorum millibus
Tiberiadem ingressus sum, & accitis in stadium
primatibus populi, iussu quinam essent defectio-
nis auctores dicere: eos indicatos iniectis vinculis
misi Iotapaiã. Ionatham autẽ & collegas solu-
tos, numerato etiã viatico, militibus quingentis
deducendos Hierosolyma tradidi. Deinde Tibe-
rienses iterũ ad me conveniunt orantes veniam,
& quod actenus cessatũ sit repensuros se polli-
centes futuris officijs rogabantq; vt direpta bo-
na veteribus dominis restituere. Mox igitur edi-
ci vt omnia conferrentur in mediũ: cumq; cun-
ctarentur milites, quendã ex eis conspiciatũ cul-
torem solito, scitatus sum vnde eam vestem na-
ctus sit: & fassum rapina esse partem, castigavi
verberibus, omnibus, graviolem poenã commina-
tus, nisi proferrent quicquid rapuerant: cõgestaq;
præda plurima singulis civium agnoscentibus
sua reddidi. Hoc loco libet paucis reprehendere
Iustũ huius argumenti scriptorẽ, ceterosq; qui
historiam polliciti veritate neglecta non veren-
tur ad gratiam vltimæ mendacia posteritati
prodere: nihil enim ab instrumentorum falsarijs
differunt, nisi quòd hos magis corrumpit impunẽ-
tiis. Is vt videretur bene tẽpus insumere, res hoc
bello gestas scribere aggressus, multa menditus

de me ne de sua quidē patria vera loquutus est. Quamobrem nunc mihi incumbit necessitas, ut ad coarguenda quae de me falso testatus est, proferā quae hactenus silui: nec mirū videri debet, quod tam diu id facere distulerim historicum enim dicere quidē vera necesse est, licet tamen ei nō inuehi in malos acerbius, nō quod illi hac gratia digni sint, sed propter seruandā modestiā. Ut igitur ad te iam sermonem vertam laete histori corum tuo testimonio grauissime, quomodo ego & Galilai in causa fuimus, ut patria tua deficeret à rege simul & Romanorū imperio? quandoquidem priusquā ego ex decreto ciuitatis Hierosolymitanae in Galilaam dux mitterer, tu cum tuis Tiberiē sibus armis correptis populariter ausi estis infestare etiā Syrorum Decapolim. Tu enim illorum vicos incendiisti, & in illo conflictu tuus famulus cecidit: atq; haec non à me tantum dicuntur, sed & in Vespasiani imperatoris commentarios relata sunt: quodq; apud Ptolemaidem Decapolitani crebris clamoribus flagitauerunt ut imperator de te poenas sumeret, nimirum autore calamitatum suarum omnium: fecissetq; id sine dubio, nisi Agrippa rex te sibi ad supplicium deditum, donasset sororis Berenices precibus, seruatum tamen longo tempore in custodia. Quin & ea quae post gessisti in republica, satis declarant tuam vitam tuam reliquam, tuam quod defectionis à romanis autem ciuibus tuis fueri: id quod

quod evidentibus argumentis paulò post docebi-
mus. Nunc etiã alij Tiberienses propter te accu-
sandi sunt, & docendus lector, quòd neq; Roma-
nis, neq; regi fideles amici fueritis. Urbium Gali-
laearũ maxima sunt Sepphoris & Tiberias tua
Iuste patria. Sed Sepphorita in meditullio regio-
ni siti, & habentes circa se vicos plurimos, quo-
niam decreuerant seruare fidem dominis, & me
excluserunt, & edicto retuerunt ne quis ciuium
suorum Iudaismilitare audeat: vtiq; à me minus
sibi esset periculi, per fallacias induxerunt me
prius vt manibus urbem eorũ cingerem. Quibus
absolutis prasidium sponte receperunt à Cestio
Gallo tum gerente res in Syria, me contẽpto, qui
tum terrori eram ceteris propter potentiam. Iidẽ
cum oppugnarentur Hierosolyma & commune
gentis nostra templum esset in periculo, non mi-
serunt suppetias, ne viderentur arma contra Ro-
manos sumere. Tua verò Iuste patria sita ad la-
cum Genesareticum, & distans ab Hippo tri-
ginta stadijs, sexaginta à Gadari, à Scythropoli
centum & viginti, oppidis ditionis regia, nulliq;
vicina Iudaicarum urbium, si voluisset facile
Romanis fidem seruare potuit: nam & publicè
& priuatim vobis erat armorum copia. Quòd
si ego tunc in causa fuit, vt tu Iuste dicis, quis
fuit postea? nam mescis priusquam oppugna-
rentur Hierosolyma in Romanorum potestatem
venisse, & vi capta Iotapata castellaq; multa
alia,

alia: multosq; Galilaorum absumptos pugnis varijs. Tunc igitur oportebat vos nihil amplius à me timentes arma projicere, & regi ac Romanis accedere, siquidem non ultro, sed coactos id bellum suscepisse vos dicitis. At vos expectastis donec Vespasianus ad mœnia vestra omnes admoneret copias, ac tum demum arma posuistis metu periculi: Imò expugnanda erat vestra civitas, nisi rex excusata vestra stultitia impetrasset vobis à Vespasiano veniã. Non mea igitur est culpa, sed vestra qui hostiles gessistis animos. An non meministis, quoties victoria de vobis potitus, neminem interfecerim? Vos verò diffidentes inter vos non propter regis aut Romanorum studium, sed propter vestram malitiam, centum octuagintaquinque cines occidistis, quo tempore ego à Romanis oppugnabar in Iotapatia. Quid? an non in Hierosolymitana obsidione recensita sunt Tiberiensium duo millia, qui partim ceciderunt, partim vivi capti sunt? An ideo te hostem fuisse negabis, quia tum ad regem per fugeras? Atqui hoc ipsum te fecisse aio à me perterritum. Dicis me esse malum hominem. Quid tu cui capitis per Vespasianum damnato rex Agrippa remisit supplicium: & cum te magna pecunia donasset, iterum atque iterum coniecit in vincula, totiesq; egit in exilium: semel etiam quem ipse duci iusserat, revocavit à morte motus Berenices sororis suae precibus. Postea toties in maleficijs

leficijs deprehensum cum te praposuisse scriben-
 dis epistolis, ut comperit hic quoque te mala fi-
 de rem agere, in conspectum suum venire prohi-
 buit. Sed in hac diligentius inquirere desino.
 Caterum tuam demiror impudentiam qui asse-
 ueres omnibus qui hoc argumentum scripserunt
 te id tractasse melius, cum ne hoc ipsum quidem
 scias, quid in Galilaa gestū sit. Eras enim tum
 apud regem in Beryto, ac ne Iotapata quidem
 oppugnationem cognouisti, aut quomodo me op-
 pugnatus gesserim potuisti discere, quando ne-
 mo superstes fuit qui tibi renuntiare valuerit.
 Sed fortè dices, te exactè perscripsisse qua circa
 Hierosolyma gesta sunt. Et qui potuisti, cum
 nec ei bello interfueris, nec legeris Vespasiani cō-
 mentarios. Non legisse te autem hinc coniicio,
 quia scripsisti contrarium. Quòd si confidis te
 scripsisse melius omnibus, cur vno Vespasiano
 ac Tito quorum auspicijs id bellum gestum est,
 & Agrippa superstite cognatiq; eius viri Gra-
 carum literarum peritissimus, non edidisti tuam
 Historiam? Ante viginti enim annos eam scri-
 pseras, & poteras à conscijs habere testimoniū.
 Nunc postquam illi non sunt inter nos amplius,
 nec putas esse qui coarguat, ausus es librum
 edere. At non sic ego, neque meis scriptis timui:
 sed ipsis opus id imperatoribus tradidi, cum
 adhuc recens id bellum penè versaretur in ho-
 minum oculis. Conscijs enim mihi eram verita-
 tis

sis seruata per omnia, vnde speratum testimo-
 nium consecutus sum. Quin & alijs multis mox
 communicauit eam historiam, quorum nonnulli
 bello interfuerant, sicut rex Agrippa, & cogna-
 ti eius aliquot, ipse sanè Titus imperator adeò è
 solis illis libris cognitionem earum rerum homi-
 nes petere voluit, vt sua manu subscriptos in bi-
 bliotheca publicari iusserit. Rex autem Agrip-
 pa septuagintaduas ad me dedit epistolas, testi-
 monium veritatis ferentes, quarum duas subie-
 ci, vt ex ipsis rem tibi cognoscere liceat. Rex
 Agrippa Iosepho suo charissimo salutem. Perli-
 benter legi tuum librum, in quo mihi videris ac-
 curatius hæc scripsisse quàm ceteri. Quare &
 reliquum mihi mittito. Vale mi charissime.
 Rex Agrippa Iosepho suo charissimo salutem.
 Ex tuis scriptis mihi videtur non esse opus vt de
 me discas aliquid. Attamen vbi conuenerimus,
 coràm te docebo quadam qua nescias. Sic illo
 absoluta mea historia de veritate fuit testis,
 non assentando : neque enim id eum decuit : non
 item per irrisionem, vt tu fortasse dicturus es :
 multū enim ab eo absuit talis ingenij prauitas ;
 sed in hoc tantum , vt ipsius testimonio lectori
 commendaretur scriptorum meorum veritas. Et
 hæc quidem ad Iustum necessariò dicta sint hæ-
 tenus. Ego porro compositis rebus turbatis Ti-
 boriensium, aduocaui amicorum concilium, con-
 sultaturus quid cum Ioanne agendum sit. Pla-

euit autem omnibus, vt armatis vniuersis Gali-
 teorum copijs illum inuaderem, & pœnas de eo
 sumerem, tanquam autore totius dissidij. Mihi
 tamẽ non probabatur hac sentẽtia, quòd malle-
 sine cade tumultibus illis finem imponere. Qua-
 propter iussi eos omnem adhibere diligentiam,
 vt scirentur nomina Ioannem sectantium. Quo
 facto, & comperto quinam essent hi homines,
 edictum proposui, quo data fide inuitabam o-
 mnes eius factionis, qui modò resipiscerent, ad
 amicitiam: præscripto viginti dierum termino.
 his qui suis rebus vellent consuluere. Alioqui si in
 armis permanerent, minabar me incensis eorum
 adibus facultates daturum in prædam populo.
 His auditis illi non mediocriter perterriti Ioan-
 nem deserunt, & inermes ad me venerunt nu-
 mero quatuor millia: soli autem apud eum
 manserunt ciues ipsius, & mille quingenti mer-
 cenarij Tyrj. Atque hac arte victus à me ille
 posthac in patria metu se continuit. Sub idem
 tempus Sepphorita ausi sunt arma sumere, fre-
 ti firmitate mœnium, & quòd me viderent di-
 stineri rebus alijs. Itaque mittunt ad Cestium
 Gallum tunc Syria præsidem, rogantes vt aut
 ipse citò ciuitatem occupet, aut saltem mittat eò
 præsidium. Gallus verò vêturum quidem se pro-
 misit, sed non significauit quo tempore. At ego
 id sentiens cum copijs in eos feci impetum, &
 urbem expugnari fortiter. Hanc occasione Gali-
 lai

lai nati, et rati venisse tempus exsatiandi quibus & Sepphoritas prosequerantur odia, videbantur funditus delicturi tam urbem quam incolas. Irruentes igitur in vacuas ades ignem iniiciunt, nam homines metu in arcem refugerant. Diripiebantur autem omnia, & nullum modum faciebant depraedandi cognatos homines. Hoc animadvertens, & magno dolore affectus iussit eos desinere, admonens nefas esse ad eum modum tractare eiusdem tribus homines. Postquam vero neque precibus neque imperio coerceri poterant pregrauantibus odiis, mandauit amicorum fidis-
 simis, ut rumorē spargerent, diuersa parte irrupisse Romanorum validum exercitum. Id autem feci, ut sic represso Galilaeorum impetu, seruaretur Sepphoritarum ciuitas. Et bene hoc stratagema cessit, quando territi tali nuntio relictis rapinis, circumspeciebant quod fugerent, praesertim cum viderent me ducem idem facere. Ad confirmandum enim rancorem simulabam me pariter metuere. Ita Sepphorita meo commēto praeter spem seruari sunt. Sed & Tiberias minimum quin diriperetur absuit ob causam huiusmodi: Primarij quidam senatores scripserunt regi, rogantes ut veniens ciuitatē reciperet. Rescripsit ille venturum se propediem, & cuidam suo cubiculario nomine Crispo genere Iudaeo literas ad Tiberienses perferendas tradidit. Hunc in itinere agnitum & comprehensum ad me pertraxerunt

runt Galilai: moxq; re cognita vniuersa multi-
 tudo arma corripit. Postridie verò multi con-
 fluentes vndiq; venerunt Asochim, quò tunc di-
 uerteram, vociferando proditricem esse & regis
 amicam Tiberiadem: postulabantq; vt permit-
 terem eos illò profectos funditus ciuitatē dirue-
 re: & alioquin Tiberienses nō minus quàm Se-
 phoritas oderant. Mihi interim non veniebat in-
 mentem quomodo eam ciuitatem iratu Galilais
 eriperem. Nam literas regē vocantes scriptas ab
 eis inspicere non poteram, manifestè arguente eos:
 rescripto regio. Itaq; cum diu tacitus mecum co-
 gitassem, Tiberienses, inquam, peccasse & ipse
 fateor: neq; obsistā quo minus vobis praeda sint.
 Attamen cum iudicio facienda sunt talia. Non
 enim soli Tiberienses libertatis nostra proditores
 sunt, sed multi praterea Galilaorū nobilissimi.
 Expectandum est dum, santes inquisitiones facta
 comperiam, & tum demum poteritis omnes si-
 mul tractare pro meritis. Hac loquutus persuasi
 multitudini, moxq; sedati dispersi sunt. Nun-
 tium autem illum regis cum coniecissem in vin-
 culia, post paucos dies necessariam quandā pro-
 fectionem simulans, cum accitum monui, vt mi-
 litem suum custodem obrueret poculis, atq; ita
 ad regem fugeret. Tiberias autē iam iterum con-
 stituta in extremo excidij periculo, meo strata-
 gemate seruata est. Eodē tēpore Iustus Pisti fi-
 lius ad regem perfugit: me inscio: causa autem:

fugiendi fuit hæc: Cum primum nasceretur bellum Iudaicum, Tiberienses decreverant regi parere, & à Romanis nõ deficere. Iustus verò persuasit eos arma capere, sperans rebus turbatis innasurum se patriæ tyrannidem. Non tamen assecutus est quod concupit. Nam & Galilai Tiberiensibus infensi recollectione eorum quæ ante bellum ab eis passi fuerant, non sinebant Iustum potiri gubernaculis: Ego cum potestate missus in Galileam à Hierosolymitano populo, sapienter adeo accendebar, ut vix à vece temperarem, non ferens Iusti sceleratum ingenium. Illo igitur veritus ne ira tandem in eadem prorumperet, ad regem se contulit, sperans commodius & securius apud eum se posse degere. Sepphoriæ autem præter opinionem elapsi è priore periculo, iterum ad Cæsium Gallum miserunt, rogantes ut ocius civitatem caperet, aut mitteret aliquam manum militum, quæ incursiones hostium reprimeret: nec prius destiterunt, quàm illo mittente equites & pedites bene multos, noctu eos reciperent. Vastatis deinde circum vicinis agris à Roman. exercitu, collectis meis militibus veni in Garisimã, ubi ~~prope~~ castris viginti stadiorum intervallo procul à Sepphori, noctu assaultum feci ad mœnia; cumq; per scalas enassissent in ea multi milites, bonâ urbis partem in potestate habui. Sed paulò post coacti propter locorum ignoratiam recessimus, occisis duodecim

Roman. peditibus et duobus equitibus, præterq̃
 Sepphoritarum paucis aliquot: ipsi verò vnum
 solum desiderauimus. Aliquanto post in planicie
 conferto pralio cum equitibus, diu repugnantes
 fortiter, tandem profligati sumus: circumuenti
 enim me à Romanis, nostri terga verterunt eo ca
 su territi. In ea pugna cecidit iustus vnus meo
 rum satellitū, qui olim in regio satellitio fuerat.
 Per idē tempus venerant regie copiae, peditum
 simul & equitū, ducente Sila præfecto regis sa
 tellitū: hic ad quintū stadium procul à Iulide
 castris munitis stationes militum disposuit per
 vias, eam quæ fert Cana, quæq; in castellū Ga
 mala, vt eorū locorum habitatoribus cōneatis
 intercluderet. Quo audito misi eò duo milia mi
 litum cum præfecto Hieremia: qui positis prope
 Iordanē annem castris à Iulide intervallo sta
 dij, nihil præter velitationes quasdam fecerunt,
 donec ipse ad eos veni cum tribus militum mi
 libus. Sequenti verò die celatis prius insidijs in
 valle quadā non longe à castris hostium, prouo
 cabam ad pugnā regios, mādito vt nostri simu
 lata fuga ad locū infessum sequentes perirabe
 rent, id quod factum est. Sila enim ratus nostros
 sedulo sugere, eò prouectus est, vt à tergo habe
 ret militem locatum in insidijs, quod eius copias
 valde terruit. Tum ego celeriter cōuersus inuasi
 regios, & in fugam cōpuli: fuissetq; potitus ea
 die insigui victoria, nisi fortuna quadam male

inuidisset nostris conatibus. Equus enim ex quo pugnabam in canosum quēdam locum delatus rina mecum prolapsus est: quo casu contusis manus articulis, deportatus sum in vicum Cepharnoma: id auditum à meis revocavit eos à persequendis hostibus, quòd valde solliciti essent, nequid durius mihi accideret. Acciti igitur medicis, & curata manu, mansi ibi eam diem correptus febre etiam: deinde ex medicorum sententia noctu translatus sum Taricheas. Quod ubi Sula & regis est cognitū, rursus eis animos addidit: & quia negligentius custodiri castra audierant, noctu trans Iordanē collocata in insidijs turma equitum, diluculo provocaverunt nostros ad praelium. Quibus non detractatibus & progressu in planiciem, coorti è latebris equites turbatis nostrorum ordinibus coegerunt eos fugere: interfectisq; sex tantū è nostris reliquerunt imperfectam victoriam: audito enim quosdam milites adductos esse per lacū à Taricheis Iulhada, metu ceciderunt receptui. Non multo autē post Vespasianus comitante Agrippa rege Tyram pervenit, ubi clamores Tyriorū in regem coorti sunt, hostem suum, simul & Romanorū appellatibus: ducem enim eius militie Philippum prodidisse Hierosolymū regiam, & Romanorum in ea presidium, idq; factum iussu regis ipsius. Vespasianus autem obiurgata Tyriorum impudentia, quòd virū dignitate regia sublimem &

Roma:

Romanorum amicū, affuerent contumelijs: ipsi regi suasisit mittere Philippum Romam ad reddendam rationē eorum qua gesta sunt. Sed Philippus in conspectū Neroni non venit: cum enim offendisset eum laborantē extremo periculo propter bella ciuilia, retro ad regem reuersus est. Postquā autem Ptolomaidem Vespasianus attigit, Decapolitanorū primates magnis clamoribus Iustū deferbant, quod vicos eorum incenderit: quamobrem ille regi eum dedit, vt subditis ipsius pœnas lueret: rex verò imperatore inscio comiecit hominem in vincula, vt iam antè diximus. Tum Sepphorita obuiam progressi salutato Vespasiano prasidium ab eo accipere duce Placido, cum quibus mihi negotium fuit donec ipse imperator venit in Galileam. De cuius aduentu, & quomodo post primum ad Taricheas conflictum recepi me Iotapata, atq; ibi post longam oppugnationem viuus captus sum, quomodo ve solutus, quaq; gessimus Iudæi belli tempore, hæc omnia in libris de eo bello conscriptis narramus. Nunc memoranda videtur & illa: quæ in eis libris non diximus, dumtaxat quæ ad vitam nostrā pertinet. Expugnatis Iotapatis in Romanorū potestate redactus, asservabar summa diligentia, in honore tamen à Vespasiano habitus, cuius etiam iussu dæxi captinā quandam virginem Casariensem patria: hæc non diu mecum mansit: sed me solato, & in comitatu impe-

ratoris harente , abiit Alexandriam. Alteram uxorem duxi Alexandria , & inde cum Tito missus sum Hierosolyma , ubi saepe mortis periculi adij, Indaei magnopere conantibus me capere, vt afficerent supplicio, & Romanis quoties aliqua clades accideret, mea preditioni imputatis, & imperatori continēter oclamantibus, vt proditorem tolleret. At Titus non ignarus belli vicissitudinū, importunas militū vociferationes trans mittebat silentio. Vrbe deinde rī capta , saepe hortatus est me , vt ex ruinis patriae quicquid vellem sumerē, dans mihi hoc faciendi licētiam. Ego verò collapsa patria nihil ad consolationem mearū calamitatū duxi potius, quā poscere libera corpora , quae vnā cum sacris voluminibus libenter mihi ab imperatore concessa sunt. Non multo post & frater cū amicis quinquaginta mihi deprecatori donatus est: in templum etiam ingressus permissu illius, cū inuenissem ibi inclusam magnā mulierū & puerorum multitudinē, quotquot ex eis amicorū meorum & familiarū esse cōperi, eripui omnes circiter centum & quinquaginta numero: quos ne precio quidem accepto dimisi in pristinū statum redditos. Missus deinde à Tito Casare cum Cereali & mille equitibus in vicū qui Thecoa dicitur, ad considerandū an locus esset castris idoneus, cū illinc reuertens vidērē multos captiuos in crucem suffixos, & in his tres mihi quōdam

dam familiares agnoscerem, vehemēter indolui,
 & cū lacrymis accedens indicavi rem Tito: qui
 enestigio iussit demptos curari diligentissime:
 horum duo inter medicorum manus exalauerūt
 animam, tertius verò superuixit. Compositis de
 inde Iudaea rebus Titus coniiciens rus quod ha-
 bebam circa Hierosolyma mihi fore inutile, pro-
 pter milites Romanos, qui ibi relinquenti erant
 ad regionis custodiam, alia pradia mihi donauit
 in campestribus, & repetiturus Romam, honori
 causa nauigationis me assumpsit socium. Ut ve-
 rō in urbem peruenimus, multis Vespasiano me
 dignatus est beneficijs: nam donatum ciuitatis
 iure diuersari iussit in adibus, quas ipse ante-
 quam imperator fieret habitauerat, pensioneq;
 honorauit annua, nihil de benignitate subtra-
 hens donec viueret, id quod periculum mihi con-
 ciliauit per mea gentis inuidiam. Iudeus enim
 quidā Ionathas nomine tumultu apud Cyrenen
 excitato, & collectis indigenarum duobus mili-
 bus, illis quidem autor fuit exitij: ipse verò vin-
 ctus ab eius prouincia praside, & ad imperato-
 rē missus, aiebat à me sibi subministrata arma
 & pecunias: nec tamen Vespasiano suis menda-
 cijs imposuit, sed damnatus luit pœnas capite.
 Post hæc & alijs inuidorū appetitus calumnijs,
 omnes euasi Dei prouidentia: à Vespasiano præ-
 terea dono accepi in Iudaea latifundū, quo tem-
 pore uxorem dimisi offensus incommodis eius

moribus, quamvis iam tres ex ea suscepissem liberos, quorum duo defuncti sunt, Hyrcano solo superstite. Post eam duxi aliam mulierem Cretensem Iudaam genere, parentibus natam domi nobilissimis, & moribus inter ceteras eximijs, ut ex conuictu eius comperi: ex hac duo mihi nati sunt filij, Iustus grandior, & post eum Simonides Agrippa cognomine, & huiusmodi quidem sunt res nostra domestica: mansit autem mihi perpetua Caesarum benevolentia. Nam defuncto Vespasiano Titus successor in eodem quo pater honore me semper habuit, nec ullis aduersum me accusationibus unquam credidit. Post hunc Domitianus maioribus etiam me cumulauit honoribus: nam & accusatores meos Iudeos capite punijt, & seruum eunuchum filij mei padagogum, meum calumniatorem, puniri mandauit: & quod est honorificentissimum, immunitatem praediorum quae in Iudea habeo, mihi concessit. Domitia porro Caesaris vxor nunquam mihi bene facere destitit. Hac sunt quae per omnem vitam à me gesta sunt, ex quibus qui volet de moribus meis iudicet. Tibi autem Epaphroдите virorum optime dedicato Antiquitatum toto contextu, hic in praesentiarum scribere desino.

FLAVII Iosephi Antiquitatum Iudaicarum libri vigesimi finis, & loco Appendicis vita Iosephi ipsius, Sigismundo Galenio interprete.